ex libris
Joannis Michaelis Perini
I.V.D.ris

RESPONSIO AD CALVINVM ET BEZAM, PRO FRANcisco Balduino Iurisconſ.

CVM REFVTATIONE CAlumniarum, *de Scriptura & Traditione.*

Adiecimus eiuſdem Fr. Balduini alteram reſponſionem ad Io. Caluinum.



COLONIAE
Apud Wernerum Richwinum,
Anno 1 5 6 4.

FR. BALDVI-
NVS IO. CAL-
VINO S.



Vnquam ad te ſcribo, Ioan-nes Caluine, niſi prouocatus atque etiam coactus: neque vnquam ad te ſcribere inſtituo, quin ſtatim mihi in mentem multa veniant abs te ſcripta, quæ vt me & te admoneam, imprimis repetenda eſſe ſentio. Aliud alio tempore occurrit. Nunc familiariter & bona tibi dicam fide, quid ſuperioribus fortè diebus, cum mihi ad te ſcribendum etiam inuito eſſet, ſeſe obtulerit. Soleo mane, antequã ciuilibus ſtudijs me dedam, aliquid ex ſacris literis delibare. Cum legerem Micheam prophetam, primum occurrit quod fulminat aduerſus eos, qui ædificant (vt ait) Sionem in ſanguinibus: deinde cum reliqua perſequerer, recordatus ſum non temere te in vna aut altera eius prophetæ prælectione admonuiſſe, *Eum* (vt ais) *docere, non armata manu, neque vi gladij ſubigendos eſſe populos, ſed verè eſſe & penitus reformandos, vt ſe Deo ſubijciant, vt coaleſcant in corpus Eccleſiæ,*

& fiant vnus populus cum filijs Abrahæ. Tum addis: *Nullus est verus Euangelij profectus inter nos, nisi vigeat charitas, & beneuolentia, & studium etiam exercendæ beneficentiæ.*

Item, *Apud nos hypocritæ iactant nomen reformationis: interea hæc mera sunt ludibria, quibus prophanatur nomen Dei, vbi non viget in cordibus sincera pietas.* Et ad Oseam prophetam annotasti, Eos quidem ridere aliorum superstitiones, sed interea esse Cyclopes, in quorum cordibus sit mera barbaries. Hæc tu verè profectò atque ingenuè. Sed hoc tempus flagitabat, vt paulò diligentius exponeres, quid sit, quod nō modo ille Propheta Micheas, sed & ipse Iesaias, totidem verbis, primam veræ reformationis veluti regulam aut significationem hanc describit: *Contundent gladios suos in ligones aut vomeres, & lanceas hastasque suas in falces: neq; vltra aut bellum addiscent, aut prælio assuescent.*

Non temere est, quod duo Prophetæ ijsdem verbis significant talia fore principia atque insignia regni Christi, siue Ecclesiæ reformatæ. Nunc autem, quam tu vis reformationem existimari, cum audimus, videmus, sentimus illud potius fieri, quod nobilis olim poeta dixit,

Et curuæ rigidum falces curuantur in ensem?

Ait,

Ais,non esse in terris quærendum complementum superioris prophetiæ:satis esse, si eius initia degustemus. Sed ne hæc quidem nobis delibāda propinas, cum in ista tāta gladiorū licentia atq;impunitate, nō modo pietatis,sed & ipsius humanitatis omnia principia tolluntur: & crudelissimis odijs ardent animi oculiq́ue singulorū: & cædibus atque sanguine manus madēt: & bellis plusquam ciuilibus ciues commissi sunt. Imò & si recōditi gladij essent:tamē vbi ipsi styli,tanquam mucrones exacuūtur:& calami,spicula sunt atque hastæ: & sicarij sunt libelli,qui se de religione contendere mentiuntur: & ora concionatorū sunt classica: qualē esse dicemus profectū Euangelij?qualem significationem reformationis?Hæc tibi dico Caluine,nō quod tui tuísue tantum obijcienda sint, quæ & nobis sunt inculcāda:sed quod tu,qui imprimis meminisse deberes,magis tunc eorum oblitus esse videaris:ac ne quidē tuarum in hoc genere Concionum seriò recorderis:quas tamen reipsa vrgere oportebat,ne cum verba de pietate fecisti, verba dedisse dicaris:atque quam nominis diuini profanationem cum mero ludibrio coniunctam esse pronunciasti,veram & Chri-

ſtianam eſſe reformationem nunc agnoſce re exiſtimetis. Iuuat autem nunc adijcere, quod apud eundẽ Ieſaiã prophetã legebã de cõditione Eccleſiæ Chriſtianæ, cap. 16. Ibi prædicit Chriſtum ita regnaturum eſſe, vt eius ſceptrum non in manu, ſed in ore ſit, vt tu ipſe annotaſti: quia (vt ais) non armorum potentia, ſed doctrina Euangelij dominabitur. Prædicit deinde, in populo Chriſtiano nullum (vtar tuis verbis) affectum nocendi, nullam ferociam, nullã inhumanitatem fore: & cum antea fuerũt veluti leones ac pardi, inſtar ouium & agnorum futuros eſſe: omnem immanitatem belluinumque affectum deponant. Quinimo puer paruus (inquit Propheta) eos ducet atq; reget. Quo loco admones pueris comparari miniſtros Verbi, quòd vim nullam exterius adhibeant. Obſecro, an hanc prophetiam in tuis potiúſquã in veteribus Chriſtianis impletam eſſe dices, vt nunc triumphent? De bello Germanico aliquando & dixiſti & ſcripſiſti, *Nullam cladem tam metuendam eſſe, quam nimis triumphale Euangelium quod nos ad inſolentiam efferret.* Quid nunc? An magis quàm vnquam elata inſolentia, ſignum eſt triumphantis Euãgelij? An principium fundamentum-

que

que Ecclesiæ reformatæ? Quid igitur, inane nomen reformationis, quod merum (vt ais) ludibrium est, tam inflatis buccis tâtoque supercilio nunc iactari pateris? Fateor non posse te præstare factum alienum. Verum cû non solùm pateris tam speciosum titulum obtendi tam indignæ deformitati, sed etiam ipse eum prætexis: an nullam Christo iniuriam, nulla bonorum atque religiosorum hominum fraude, facis? Liberè & familiariter, sicuti soleo, tecû agâs & cum tria potissimum esse sentiam, quæ curare debeas, si es, qui vis videri, rogabo, ne tui officij obliuiscaris. Primum illud ac pręcipuû, quod veluti est substantia religionis, & sine quo non est religio, sed hypocrisis, ad animos hominum regenerandos atque intus reformandos pertinere nô ignoras. Ex eo dependent alia duo, quæ exteriora sunt, dico modû religionis propagandæ atque defendendæ, & ipsius Ecclesiæ formam. Vt autem in illo primo capite, sic in duobus istis, minimè iam aut curare aut præstare videris, quod imprimis debes, vt verę & legitimæ reformationis titulum euincas. Regibus, principibus, magistratibus suum ius gladij, vt debemus linquimus. Sed qui sunt religionis, admi-

 nistri,

nistri, & solo verbo ac voce Euangelium propagaturos se esse professi sunt? neque armata (iterum dico) manu, ne qui (vt ais) vi gladij suam reformationem obtrudere debent. Quid enim minus esset Apostolicum? Quid magis esset Arrianum? Quid igitur tu de postremis tuorum actis tãdem iudicas? Nam diutius conniuere, nõ est integrũ. Certè cum nuper in tui Melanthonis Chronico legerẽ illud de pseudopropheta, ex Alcorano repetitum: οὐκ ἦλθε διὰ θαυμάτων, ἀλλὰ διὰ ξίφους, δοῦναι τὸν νόμον, statim iudicaui, docendi exẽplum, quod moribus christianis planè contrariũ esset, describi; neque non veritus sum, ne hoc tẽpore quippiã tale fortè dici posset de quibusdam, qui Christo nomen dederunt, simul autem venit in mẽtem, quod narrant de Ismaële Sopho Persarum Rege & eius propheta Techelle, cuius præposteram funestamque reformationem, (si reformatio dici debet) patrum nostrorum memoria, infelix Oriens vidit. Ita est sanè. Ille siue Ismaël, siue Techelles, vterque crudelis impostor, malam causam male egit, hoc est, Machometanam superstitionem, cuius aliquam fortasse speciem externã mutabat, vt alteram & nouam eiusdem insaniæ formam

mā subſtitueret, more Machometano reformabat ſimul & propagabat. Sed ſcis tantò magis talem morem, & agendi exemplum tale, alienum eſſe abs religionis veræ conditione. Quinimo noſtros olim (vt vocantur) Maccabæos cauſam bonam male egiſſe pronūciaſti. Cur ita? Credo equidē, quod non ſolum cum Regno Sacerdotiū cōiunxerint, & vtrunque occuparint, ſed etiam quod in armis minus ſibi temperarint: quibus tamen alioqui iniuſtam vim tyranni Antiochi repulerūt, & cultū Dei reſtituerunt, & templum purgarunt, vt ipſemet ais. Ac quidē ferre nō potes, quod Iudas ſacrificium pro peccato mortuorū fieri procurarit, quia id lege Moſaica mandatum non fuiſſe dicatur. Encænia tamen feſta ab eodem inſtituta præter illam legē, improbare (credo) non audebis, cum & ea Chriſtus obſeruaſſe videatur. Cæterùm illius Renouationis exēplum velim alioqui obſeruares: quò magis nunc ſimplex reformatio inſtituatur, quæ rātum antiquæ formæ reſtitutio ſit. Nam & quemadmodum Templum Hieroſolimitanum, rurſus extructum nō diſceſsit ab effigie prioris: ſic & abs Iuda repurgatū, quod antea fuerat, fuit. Ac licet ille lapidibus pollutis vti au-

ſus non fuerit ad holocauſti altaria rurſus extruendum: ſaltē lapidibus iuxta legem integris extruiſſe aram nouam, quæ tamen priori ſimilis eſſet, hiſtoria illa diſertè refert. An talia exempla negliges aut irridebis? Sanè, vt vt alias Maccabæorum actiones non probare te dicas: tamen non dubitas eorum auxilium prædici, prædicari, atque commendari abs Daniele: & obiter notas, quod ille adddit, multos in blanditijs acceſſuros, hoc eſt, hypocritas multos Iudę illius caſtra ſecuturos eſſe: *vt inter nos* (inq.) *qualis eſt mixtura?* Sed priusquā Maccabæorum exemplo vtaris Caluine, neceſſe eſt, vt diſsimilitudinem, quæ inter vos maxima eſt, nullam eſſe oſtendas. Tu cum in Danielem præfaris, tuos in Gallia miniſtros præmonens, ais, *Improbos & perfidos, falſaci zeli iactantia, Iudæ & eius fratribus ſeſe adiunxiſſe: eoque artificio Satanam infamia aſperſiſſe manum à Iuda collectam, ac ſi latrunculorum turba eſſet.* Sed ſi vis ſimilem eſſe cauſſam conditionemq; tuam, maiorem dare operam debebas, vt nihil ſimile aut commune cum talibus zelotis tui haberent: vt ſe ab ijs ſegregarent: vt eórum ſocietatem fugerent. Atqui, homines religioſos, qui abs talibus ſeſe ſeiunxerunt, clamas perfidos eſſe

Apoſta-

Apoſtatas. Cur nō & Antiocho ſeruire clamas? vel etiā colludere cū Manelao & Alcimo, perfidioſis, nō pōtificibus, ſed proditoribus, qui cum Antiocho vel Demetrio conſpirabant? Sed hæc conuicia ſunt, quæ in te recidunt, & quibus aliam potius factionem ornare deberes. Illud modò vide: Si (vt ais) nō poſsis plane excuſare Maccabæorum fratrū actiones: qui poteris hoc tempore non ſolùm defendere, ſed etiam laudare acta tuorum? Nam & ſi laudare ſoleant exemplum illius Iehu, qui trucidauit Baalaticos ſacrificos, & euertit domum ipſius Achab: tamen tu eum non reformationem, ſed latrocinium inſtituiſſe pronunciaſti: & propterea Hoſæam Prophetam factum illius deteſtari admouiſti: vbi & cum illo Iehu comparaſti Henricū Angliæ Regem. Sed iterum vide, ne domi tuæ habeas reformatores, qui cum eo potiùs conferendi ſint. Nam & olim, cum in Ieſaiam ſcriberes, ſcripſiſti, pios principes ſequi debere illum Iehu. Adeo, cū vis, variè loqueris. Equidem lubentius aliquādo audiui, quod tuæ Reformationi prætexebas exemplum Nehemiæ dantis operam iuſtiniani Templi atque vrbis Hieroſolymitanæ, cum architecti altera manu

trul-

trullam versabat, altera gladium, (sed quo tantum depellerent hostes incurrentes) vibrabant. Fortiter. Verum quam magnam rursus dissimilitudinem putas nunc notari inter vos actionesq; vestras posse? Odiosa esset hæc quoque comparatio. Ergo facessat. Videamus verò de Ecclesiæ forma, quæ restituenda sit, cum hoc tempore omnes passim de reformatione loquantur. Scimus & lubenter fatemur interiorem quoque & spiritalē eius esse quandā pulchritudinem, quam mundus non videt. Sed de ea nunc quæritur, quæ sit aspectabilis. Tu quodā in Iesaiā loco agens de Ecclesiæ ornatu, allegas ex Psalmo, *At gloria filiæ Regis, ab intus est*: tametsi cum Psalmos interpretaris, id alio referri atque pertinere significes. Nos modo quæramus de forma, quæ exterior est, & est instituta ad homines in religione continendos, cum hi, ex quibus Ecclesia colligitur, non spiritu solo & animo, sed & corpore constent. Mirum verò, cū olim de religione & eius doctrina fideiq; (vt vocantur) capitibus tam magna essent certamina, tamen formā Ecclesiarū alioqui dissentientiū eādem semper & consentientem fuisse. Olim, si quis Arrianorum cœtum spectasset, existimare

potu-

potuiſſet eſſe Catholicorum. Nam-ijdem ritus, eædem erant ceremoniæ. Hodie cũ talis non ſit in ipſa doctrina diſſenſio, qui fit, vt formæ diſsimilitudo atque diuerſitas tam magna ſit, quæ populos in primis perturbat ac veluti cõmittit? Cuius partis culpa id fiat, alij iudicabunt. Sed apud te diſsimulare non poſſum, quod ad te pertinet. Cum Ambroſium, Chryſoſtomũ, Auguſtinum lego, Eccleſiæ toto tũc orbe diffuſæ quædam meis occulis effigies obuerſatur. Eam ipſam non occurrere in tua reformatione, profectò miror: & vereor, ne tanta diuerſitas atq; differentia in multorum animis cieat ſuſpiciões, quas nollem. Memini, cùm ad carolum V. Imp. & Imperij Germanici Principes ſcriberes de neceſsitate reformandę Eccleſiæ: ne quis miraretur omnia cõfuſe hoc tempore diſijci, ſpem dabas, fore, vt nõ manerent tales ruinę: dicebasque, cũ domus, quæ inſtauranda eſt, diruitur, lapides integros ſimul & vitioſos pariter quidem deijci, ſed poſtea ſelegi repetique eos, qui inſtaurationi vtiles ſunt. Atq; ita loquebaris, vt te hactenus tãtum deieciſſe, poſtea verò inſtauraturũ eſſe ſignificares. Atqui ab eo tempore ne lapidem quidem vnum appoſuiſti, cũ tamen

men in tuo regno tibi, quod lubet, liceat. Itaque quas antea profitebaris tãtum esse veluti parietinas ruderibus cumulatas, iã pro integro perfectoque ædificio habere videris. Hinc nostra dissensio: de qua tamen verbũ non fecissem, nisi si tu me terque quaterque prouocando respondere coegisses. Nunc si verbosior sim, scito me tu quodam id fieri, ne meam sententiam calumniator aliquis detorqueat. Dicam tamen, verbo vno transigi inter nos posse, si (vt debes) Reformationem malles, quàm transformationem: & cũ duę ab orbe condito potissimũ fuerint aspectabiles formę tu ad secundam redires potiúsquam tertiã aliquã effingeres. Hic bona tua gratia mihi licebit, quod te optime scire minime dubito, iam repetere, vt me & alios cõmonefaciam. Formam Ecclesiæ Iudaicę Moses præscripserat annis propè quingentis, antequam Solomon, eam extruct○ Templo (cuius etiã effigies in Mosaico Tabernaculo delineata fuerat) numeris omnib' perfectam expresserit. Sic enim multis interea certaminibus Ecclesiam exerceri, & multorum seculorum erumnis prius affligi Deus voluit. Vt autem Solomon lineamenta veluti à Mose ducta religiosè secutus

tus est in suę Ecclesię constitutione, neq; minus in ceremonijs describendis, quàm in ipsius Templi structura: sic & deinde, vt vt populi Iudaici varia iactatio fuerit, & fuerint illius Reipub. multiplices casus, ad eandem tamen formam instauratio reuocata est: vt licet ab alijs Templum secundò aut ter iò extructum esset, tamen Solomonis semper esse diceretur. Christo exhibito necesse fuisse omnes illas ceremonias facessere, totamque illam veluti Vmbram euanescere, vt vltra Ecclesiæ forma & species substitueretur, audio. Quid igitur? Prophetæ antea acerrimè quidem fulminauerant aduersus abusus, corruptelas, vicia. Sed longius progressi non erant, neq; aliud tentauerant. Apostoli verò senserūt interea dum alia vis Tēplum ipsum euerteret, sese ceremonias illas abolere debere, vt alteram Christi Ecclesiam & colligerēt & erigerent. Neque sanè in illa abrogatione persuadenda minus laborarunt, quàm in Gentium vocatione (vt appellatur) afferenda. Sed neque minus in subrogatione nouæ (vt ita loquar) formæ sudatum est. Nam & trecentis annis pugnauit potestas Romani imperij, Tandē, post multa certamina, Cōstantino Imperāte, Ecclesia Christiana

ſtiana nõ ſolũ libera, ſed etiã victrix cepit cum aliquo ſplendore externoque decore attollere gloriã & decus nouæ ſuæ cõſtitutionis. Si Cõſtantinũ propterea cum Solomõe compararẽ, facerẽ, quod veteres Chriſtiani, & grauiſsimi inter eos ſcriptores, fecere. Et tu, quod Ieſaias prædixerat, fore, vt Reges tandẽ eſſent veluti nutricij Eccleſiæ, tam (ſpero) fateberis de Cõſtantino rectè intelligi, q̃ Ambroſius de Valentiniano ſuo id interpretatur. Sed illud modo dico: vt quod Aggæus Propheta pollicitus erat, noui Tẽpli gloriã maiorẽ fore priori, ad Eccleſiam Chriſtianam pertinere fateris: ſic quam huius Eccleſiæ maieſtatẽ, magnificentiam, ſplẽdorem, ordinem, Ieſaias prædicat, potiſsimum prodijſſe atque extitiſſe toto illo ſeculo, quod fuit abs Cõſtantino vſque ad Auguſtinum, aliquando cõfeſſus es. Scio etiam ſub cruce ſpecioſam eſſe Eccleſiã, cuius interior & ſpiritalis eſt decor: tantum abeſt, vt eius dignitatem alligem alicui externo ſplendori. Sed vbi in pace & libertate quæritur de aſpectabili ſpecie & forma: non auertam oculos ab illa, quam dixi, effigie: neque ſomniabo, fallacem tantum laruam fuiſſe: neque profectò hanc imaginem quiſquam repudiabit,

bit, qui modo credit aliquãdo conſpicuã Eccleſiæ liberæ faciem in hoc terrarũ orbe floruiſſe. Nunquam ſuis eam nęuis caruiſſe fateor. Sed præ intollerabili deformitate habere non poſſum illam eius conſtitutionem, qua non eſt olim alia in orbe noſtra viſa illuſtrior. Nòn audeo dicere, quod Ambroſius aliquãdo ſignificauit Eccleſiã ſimilẽ eſſe lunæ naſcenti, quæ indies ſplẽdeſcit: quanquã ſi quorſum id dixerit, meminerimus, rectè dictum videri poſsit. Cæterùm ne longior ſim: aut nulla in hoc mundo conſpecta eſt Eccleſia, quo tẽpore maximè ſpecioſa ſpectata, agnita, glorioſa palã fuiſſe dicitur: aut certè illa fuit, quã Ambroſius in Italia, Hilarius in Gallia, Chryſoſtomus & Baſilius in Oriente, Auguſtinus in Africa, Cyrillus in Aegypto, ſua ætate gubernarunt, nobisque deſcriptã reliquerũt. Et verò tu ipſe aliquãdo ſcribens ad Sadoletũ, viſus es agnoſcere quod dico, cũ ſcriberes, Si veterem illam Eccleſiæ faciem, qualẽ horum, quos dixi, ſcriptorum monumenta exprimũt, & deinde ruinas, quæ ſuperſunt, contemplemur, poſſe videri, illam quidẽ fuiſſe Eccleſiã, qualis ſub Dauide & Solomone floruit; hanc verò, qualis ſub Zedecia

 & Ioacim

& Ioacim vitiata erat. Et quidem tu eodē loco hæc adijcis: *Falsò opinaris, ab ea colendi Dei ratione, quam semper obseruauit Ecclesia Catholica, nos abducere velle populum Christianum, &c. Scis nos nihil aliud conari, quam vt instauretur aliquando vetusta illa Ecclesiæ facies.* Ergo Caluine, si iam sententiam non mutasti, consentimus. Apertius etiam postea mihi dictasti, quod nunc vrgeo. Nam nō solùm cum de scādalis ageres, dixisti, vbi suos fasces, Christi regno summisit Imperium Ro. Ecclesiā in beata quietis & gloriæ sede collocatam fuisse videri, nisi hæretici turbas excitassent: sed & in præfatione ad Iesaiam, cum Angliæ Regē alloqueris, primū ais singulare domus Dei ornamentū fuisse, cū Romani Imperij celsitudo se Christo summisit. Postea, Sponsam Christi, tam pretioso (vt loqueris) habitu nudatā, tanta dignitate spoliatā, tanquam splendido decore priuatā, fuisse redactam in miseram deformitatem. Hic ergo rursus consentimus. Sed cum ad rem ventum est, tibi non constas. Quid enim? Si iam exponam, quo habitu, qua dignitate, quo decore prædita Ecclesia fuerit, cū Imperatores, exemplo Constantini, facti sunt Christiani: an talem reformationem ad-

admittes? Vtinam faceres. Facilè tūc inter nos conueniret. At qui tu me ferre nō potes, cùm te ad illud seculū reuoco: quod quàm insipidum esset, auditores tuos etiā considerare iussisti, cum Zachariam Prophetā ijs prælegeres. Fuerint sane semper aliqui omnibus seculis insulsi homines: vel etiam in singulis alioqui hominibus & præstantissimis & doctissimis fuerit aliquid vanitatis aut ineptiarū. Sed vt propterea nullū in his salē fuisse dicere nō debes: sic seculum, quo vix vllū vnquā fuit illustrius, eruditius, religiosius, insulsę fatuitatis dānare minimè deberes. Ego quidem alterū nescio, ad cuius admirationē magis te reuocare possim. Itaq;, velis nolis, ad illud vt subinde respicias hoc tempore, sępius rogabo. Atque vt Iudęi ex Babylone reuersi, instante Zacharia, cū suū Templum instaurarent, secū reputabant, qualis structura Solomōis fuisset: si quid mea voce possim, instabo, vt in eam quā dico, formam beati seculi, non adumbratam, sed expressam propius intueantur nostri instauratores, & tu diligentiùs tecum reputes, num oporteat tertiam potius tanquam idęam nouam effingere.

Habet doctrina religionis suā (vt Apo

ſtolus vocat)hypotipoſin. Habet & ſuam ipſa εὐταξία Eccleſiæ. An nulla olim fuit, cum maximè eſſe poterat,quæ nũc digna ſit,quam imitemur? An tu potius ad eam formam delendam,quæ ſecunda fuit,facere potes & debes,quod neceſſariò ſemel fecere Apoſtoli ad inducendã primã, hoc eſt,Moſaicam? An rurſus alteram & abrogationẽ & ſubrogationem tali exemplo tibi mandatam eſſe dices? Pátere, vt rem eandem pluribus verbis inculcare ſæpius poſsim,Scio, neque diſsimulo, quænam, poſt Chriſtum exhibitum,ſit libertas religionis,ceremonijs minimè alligatæ. Scio, ceremonias Moſaicas,antea neceſſariò obſeruandas,poſtea neceſſariò abolitas fuiſſe. Scio ceremoniarũ Chriſtianarum aliã eſſe rationem:Sed illud modo quæro: cũ aliquibus vtendum ſit,an non eas,quæ & olim apud chriſtianos in vſu fuerunt,& nunc commodè eſſe poſſent, neque ſunt alioqui abrogatę,retinere debeamus,potius quàm nouas excudamus? Cumq; exemplũ reformatiõis requiritur,num omnino effingẽdũ ſit,veluti cuiuſdam nouę Eccleſiæ tertium quoddam genus, potiuſquam ad illud,quod, vbi integra conſtituendi libertas fuit,pulchrè expreſſum

eſt,

est,& cuius etiámnum lineamenta superſunt, reſtitutio noſtra reuocetur. An potius patieries cœlū terrę miſceri? Memini, cum in Epiſtolam ad Galatas ſcriberes, quā, non dico ſeuerè, ſed moroſe damnes Chriſtianos veteres, quos ſuſpicaris parū animaduertiſſe, cur Deus ceremonias Moſaicas abrogauerit, & aliter populum Iudaicę, aliter Chriſtianę Eccleſię, regendū atq; continendū eſſe iudicarit: vt quæ illi pędagogia neceſſaria fuit, huic eā non eſſe vtilem, euincas. Equidem diſcrimen, quod Apoſtolus indicat, obſeruo. Sed vide tu, ne cum obſeruare nō vis, quod etiā inuitus experiris, confusè, intemperāter, & temere, non ſolùm miſceas, quæ diſcernenda ſunt, & recta iudicia Veterum depraues, ſed etiam ineptè fingas Angelos quoſdā eſſe planè ſpiritales, quos ſcis & ſentis in populo quoq; tuo, nimiū homines, nimiumq́; corporales eſſe. Non eſſe Iudaiſmum abs chriſto abrogatū, rurſus erigendum, vt imperitis cōſulatur, ais in tua Inſtitutiōe. Fateor. Ais, Chriſtum notaſſe hoc diſcrimen veterum & nouorum cultorum, cum alloquitur mulierem Samaritanam. Fateor. Addis tamen omnino eſſe vtile rudioribus etiam Chriſtianis admi-

 nicu-

niculum aliquarum ceremoniarum: sed eas pauciores faciliores, simpliciores esse debere. Rectè. Sed quæritur, tuæ ne sint demū illę? Saltem definito modum illū, quem solum probas, si non putas eū, qui probari posit, posse in ea Ecclesia, de qua loquimur, inueniri, etiamsi rectus vsus & religiosa ingenuitas accedat. Ais Augustinū in Epistola ad Ianuariū, iam suo tempore cōquestum esse, Ecclesiam, quā Dei misericordia liberā esse voluit, sic premi, vt tolerabilior fuerit Iudæorum cōditio. Cur nō bona fide recitas eius querimoniā? loquitur de quibusdā (vt vocat) humanis præsumptiōibus, quæ (vt ait) neq; sanctarum scripturarū auctotitatibus continentur, nec in concilijs Episcoporum statutę inueniuntur, nec cōsuetudine vniuersæ Ecclesiæ roboratæ sunt: sed diuersorū locorum diuersis moribus innumerabiliter variātur. Atqui eius generis seruilibus (vt etiā vocat) oneribus premendā esse Ecclesiā quis iā dicit? Tu verò, cur ex eadē ad Ianuariū epistola non repetis definitionē, de qua nunc quęritur? Cur hac in re saltem Augustini iudicio non stas? Cur & eū repudias modū, quem nō solūm ille valde probauit, sed & eius tem

poris

poris Ecclesia libera vehementer lauda-
uit & lubenter amplexa est? Quid multa?
Vt vt concedamus, in ratione gubernan-
dæ Ecclesię, & religionis (sicuti loquun-
tur) exercendæ, liberũ esse, sequi, quod
iam placet: dicemus tamen, cauendũ saltẽ
esse, ne Ecclesiam Christianam, quæ olim
fuit, cum esse optimè cõstituta diceretur,
repudiare videamur, vt priorẽ Iudaicam.
Hęc itaque cautio libertatem illam quo-
dammodo cõstringit. Non affingo præci-
cisam (vt vocant) aliquam seruitutem. At
semper rogo, num, vt seruiamus vnitati,
& Antiquitati, quod debetur, deferamus,
debeamus posſimúsue sequi vestigia quę
dixi? vbi quidem nulla satis idonea causa
est, (sicuti non esse in eo, de quo loquor,
exemplo existimo) cur illa tam valde refu
giamus, malimusq; nostro dissidio dissol
uere harmoniam orbis Christiani, & no-
uitatis studio veluti conspuere atque con
culcare faciem veteris Ecclesię Chistianę,
& eam conculcando, nostram religionẽ
in multorum animis labefactare, aliarum-
que gentium ludibrio exponere. In tuis
quidem scandalis cautè significat, te nõ
nisi mille ab hinc annorum consensum
oppugnare: superiorũ verò seculorũ Ec-

clesiam reuereri. Sed hāc distinctionem, cum ad rem ventum est, minimè sequeris. Quid iuuat tot vti circuitionibus? Nō sunt omnes homines tam fungi, tam stupidi, tam stipites: non adeo rerum temporumque imperiti sunt, vt nesciāt te verba dare, cum ita loqueris. Feceris quidē certè magis ingenuè, si apertè fatearis te confuse conuellere, quæ abs mille quingētis annis, vt quæ ab annis mille, inualuere. Magnū verò & difficilè est hoc op', quod suscipis. Sed veterem Christi Ecclesiam, noui Iudaismi ream nunc facere, facinus est multò maioris audaciæ. Molestus, fortasse tibi sum monitor, & videbor ineptus. Sed nō possim satis rogare te, vt diligentius cogites, ecquò tandē res euasura sit: neq; temere audias eum, qui te in Ecclesia non modo Dictatorem, sed & Cancallarium quendam esse dixit: & posse te quiduis cancellare, vt vna tantū litura sit opus: atque etiam adiecit, tam te formam olim ab Christianis editā omnino expungere debere, quàm Apostoli expunxerūt Iudaicam. Quid non audet proiecta audacia τῶν νεωτερικῶν? Lógius etiam excurrit, & plus sibi licere putat. Certè ipsi Apostoli, etsi mandatū accepissent inducēdę in-

forma-

formationis Mosaicæ, tamen magis sibi videntur interdum temperasse, quàm nunc tui faciunt, qui penitus eradent alteram, cuius ijs inductio alioqui mandata nõ est. Non recuso battologus videri, modo te obtundendo, & rem eandem inculcando, vtilis sit expostulatio mea. Ergo repetam ijsdem verbis, quod nuper ad te scripsi. Ipsi (dicebam) Apostoli, etsi necessariò abrogarent ceremonias Mosaicas, tamen bono consilio ex Synagoga ad suam Ecclesiam transtulerunt multos, qui vtiles erãt, ritus, multasque Iudæorum formulas retinuerunt, quibus etiam Christiani vterentur, & vti per suam religionem rectè poterant. Et tu nullam in antiquis formulis actionum Ecclesiasticarum reperisti, qua vti dignareris, vt tantillum deferres & Antiquitati, & pacis studio atque vnitatis? Ipsos Nouatianos, Donatistas, Pelagianos, non ausos esse in illis formulis quicquam mutare, tametsi sentirent sibi esse aduersarias, ex Cypriano, Optato, Augustino, didicimus. Arriani & Macedoniani fuere audaciores. Sed quàm acriter tunc repressi statim sunt? Cur hoc tempore audacia maior est? Facessat sanè ἡ κακοζηλία, si Maiores nostri, qui vel ex Iudæis vel ex

Ethnicis Christiani primùm facti sunt, veterem (quod aiunt) saliuam nimium retinuerunt, & ijs, quibus antea assueuerant, moribus, deinde addicti nimium fuerunt. Sed vt ijs temere non est impingendum crimen τῆς κακοζηλίας: sic nos religiosæ imitationis, quæ nostræ successionis testis sit, pudere non debet. Nam & quæ in ijs καινοτομία, virtus fuit, cum noua semel Ecclesia esset informanda: in nobis esset crimen, si alteram rursus tranformationem instituamus. Itaque illis nouum opus nunciari iure non potuit: nobis posset. Non enim dicere ausim illos cessasse, aut quod abolere & volebant & debebant, alia via inuexisse: ne dicere videar (quod dictu nefas est) hactenus, & Synagogā perdurasse, & Ecclesiam CHRISTI nullam fuisse. Memini, apud Danielem coniunctim prædici, & templi Hierosolymitani, quod euersum fuerat, ante Christum exhibitum, necessariam instaurationem & eiusdem postea necessariam vastitatem atque euersionem cum suis & sacrificijs & ceremonijs. Illos (de quibus loquor) veteres Christianos, (nam de barbara & degeneri posteritate non loquor) id etiam non ignorasse planè existimo: neque mihi

persua-

persuasero, imprudentes quodammodo fecisse, quod Iulianum Apostatam conari dolebant, vt alquod Iudaicum templum cum Leuiticis ceremonijs restitueretur. Imò verò iterum dicam, his abrogatis eos substituisse formam, quæ Christianismo, non Iudaismo côueniret: quò magis in ea obseruanda côsistamus: ac vbi hæc effigies côspurcata, contaminata, obsoleta erit: reformationis penicillum, potius quã inductionis spongiam arripiamus. Quid multa? Ego licet næuos, vt dixi, & rugas deleri optem: tamẽ illud Ecclesiæ (de qua loquor) corpus, cuius profectò caput fuit Christus, & in cuius societatem atque communionem vocatæ sunt Gentes, nunquam existimabo, aut fastidioso diuortio repudiandum, aut hostili schismate discerpendum atque dilacerandum, aut tanquam profanũ cadauer, sempiterna cum ignominia nominis Christiani, sepeliendum atque conculcandum esse. Non existimabo (inquam) illius, de quo loquor, temporis Ecclesiam, ad quam tot in scripturis promissiones, tot elogia etiam pertinent, nihil fuisse aliud, quàm quandam veluti chimeram.

Habes, mi Caluine, sententiam in hoc

genere

genere meam, pluribus fortasse, quàm res postulabat, uerbis expositam, sed quam visum fuit exponere paulo verbosius, vt aduersarijs præciderem ansam calumniandi. Te porro monere non audeo: sed si pateris, tantum rogabo, saltem vt memineris, quod aliquando in Pygium scripsisti, tuam conditionem similiorem esse Prophetarum, quàm Apostolorum, conditioni, & illorum quam horum certamina tuis esse similiora. Si ita est, vide, num te magis, quam nunc facias, continere debeas: & reputa, quid sibi velit, quod in tua Institutione scripsisti, licet Hierosolymis religio partim contempta, partim contaminata esset, tamen Prophetas neque nouas propterea Ecclesias sibi erexisse, neq; noua altaria extruxisse. Neque vero si admoneri nolis, ipse recusem abs te moneri, si quid erro. Verum vt bona fide mecum agas, postulo, neque aut alio me trahas, aut causæ nostræ statum perturbes. Magna profectò hæc causa est, quam nunc agimus, & omnium, quæ esse possunt, maxima. Ergo te per omnia sacra obtestor, atque etiam per sacrosanctum æterni viuentisque Dei ac Domini nomen adiuro, vt serio, vt sedatè, vt grauiter, vt religiose

etiam

etiam agas. Minimè verò, vt eludas, extra id, quod quæritur, confusè alia miscendo atque tumultuando, excurras. Nam & ne id facias, iam te sępius admonui, caluam esse tuam, siue frustrationem, siue cauillationem, cum vbi de reformatione rogati, laudamus veteris Ecclesiæ formam, tu nobis exprobras deformitatem, quę nunc est, quasi eam exoscularemur, quam exhorrescimus: neque non callidè ad nostri temporis fecem exagitandam te confers: vt cum in huius ætatis corruptione multa sint, quæ iure reprehendas, illam innocentem atque religiosam Antiquitatem, veluti per latus degeneris posteritatis, confodias. Si hæc non est intentio tua: nihil est, cur me petas. Si Antiquitatem (dico iterum) illam bonam reuereris, consentimus: castiga modo tuorum audiciam, insolentiam, insaniam, qui omnem illius memoriam delere volunt: castiga multorum leuitatem, vanitatem, ἐωλοκρασίαν: qui odio sui temporis, illam Ecclesiam, cuius tanta semper fuit reuerentia, tam valde oderunt, fastidiunt repudiant, eius vt nomen ferre vix posSint: nihilque magis metuere videantur, quàm ne quid ex eius formulis ceremonijsque retinere, aut quicquam

quam commune cum ea vel ſimile habere dicantur, præſertim quod vel in oculos incurrat, vel auribus inſonet. Quid? Eò res (ô tempora) recidiſſe videtur, vt nunc quæratur, num aliqua ab Apoſtolis relicta ſuperſtes ſit Eccleſia Chriſtiana, quæ & teſtis veritatis, & cuſtos religionis & vtriuſque index fidelis eſſet? an verò ea, ſtatim atq; nata & condita fuit, interierit, aut in apoſtaſim degenerarit? an denique tota nihil aliud fuerit, quam vanitas, impoſtura, ſomnium, ludibrium, ſperſtitio, fabula? Et quid ſupereſt, quàm vt illam cum Aegeria quadam conferant, qui hoc tempore audent veterum chriſtianorum ſacra cum delirijs Numæ Pompilij comparare? Qualem totius religionis, ſiue irriſionẽ, ſiue labefactationem, ſiue etiam euerſionem, eamque ſiue apertam, ſiue occultam & ſubtilem, qui titulo reformationis venditant, quomodo tibi tolerabiles atque ferendi eſſe videantur, neſcio: ſed mihi, qui talem indignitatem concoquere non poſſum, minus ſuccenſere profectò debes: præſertim cum non magis ferendos eſſe ſentiam, qui illos adiuuant, cum ſe repugnare clamant: hoc eſt, qui res deprauatas præfractè & confuſe tuendo, rerum

bonarum

bonarum integritatem permiſcent, & propè obruunt. Sic non modo nocent, qui Eccleſiam veluti depoſitam iugulant: ſed & qui morbum nullum agnoſcendo, nullam admittunt medicinam. In hac verò tanta rerum deſperatione, quid me aliud facere vis, quàm quod facio, cum interea, Deum vindicem & appello & expecto? in horum quidem certè temporum confuſione, & certaminum fluctibus, & diſſenſionum tumultibus, quod nam meum votum ſit, iampridem legiſti: Legiſti, quòd iampridem ſum profeſſus, omnibus votis me optare, tandem aliquando, tandem vt illam, quæ cælum & terram olim recreauit, & nunc iterum iterumque recrearet, vocẽ Conſtãtini noſtri ad Alexandrinos, illum (inquam) verè Euangelicum nuncium, audire, priuſquam ex hac vita migremus, liceat: *τὰς διχονοίας, τὰ σχίματα. τους θορύβους, κατὰ τὴν τȣ̃ χριστοῦ. κέλευσιν, ἡ τῆς ἀληθένας ενίκησε λαμπρότης*

Tum verò etiam ſperabimus iterũ nos illam Eccleſiam in integrũ reſtitutam viſuros eſſe, cuius ipſos quoq; Angelos, non ſolũ cuſtodes, ſed & auditores & diſcipulos quodammodo eſſe, Apoſtolus ſignificauit.

ficauit.Illam dico,quam idem ait esse domum Dei, columnam & basim veritatis: quamque tu interpretatus es propterea ita appellari,quia fida sit custos veritatis, ne hæc in mundo intercidat.Interea quid est,quod in meo desiderio requiris?Si hãc miserè deformatam abs barbaris fuisse, clames:iustissimum clamorem tuum laudo:Si deplores, seriam eius restituendæ curam multis iam annis nullam fuisse: cõiungam meos genitus. Si cum Apostolo, Deum irrideri non posse dicas,tamen multos ei illudere velle:tibi succinã. Si quod & Aeneas Syluius suo tempore conquæstus est,multo magis conqueraris, Ecclesiam(vt ait)iactari,sicuti pila iactatur voluiturque à pueris ludentibus: tecum exclamabo,intolerabile esse hoc ludibrium, & propterea pios omnes vel dolore contabescere,vel indignatione disrumpi debere.Denique si erumpas in illam, quàm sæpe in ore habes, Prophetæ indignantis grauem querimoniam. QVOVSQVE DOMINE?religiosi zeli vehementiam prædicabo,Sed cum de reformatione agetur:fremas licet,recurram ad illam, quam dixi,effigiem,& ijsdem,quibus antè fuerat,coloribus nunc renouandam esse contendam:

tendam:

tendam: atque cum prioribus lineamentis, fundamenta priora repetenda esse dicam: vt & olim Ieremias Propheta prædicebat Hierusalem rursus ædificatum iri in suo aceruo, vel suorum ruderum cumulo. Denique, vt antea ad te scripsi rediuiuo potiusquam nouo saxo Templum hoc nostrum reparandum esse: rogabo, vt ex ipsis ruinis lapides antiqui repetantur atque seligantur, quibus hoc ædificium in integrum restituatur. Eos semper dico, qui recti atque integri sunt.

Hic ergo pro coronide mihi liceat erumpere in illam Psalmi vocem: *Exurge Domine, & miserearis Sion. Serui tui diligunt lapides eius & pulueris eius miseret eos.* Interea verò consolatio quænam nostra erit? Vt cũ olim instaurabatur Templũ, quod minus accedere videbatur ad splendorem atque maiestatem structuræ Solomonis, pios homines propterea mœstos cõsolatus est Propheta, pollicitus fore, vt aliquando surgeret Ecclesia Christiana, quæ longè superaret gloriam prioris Templi: sic iam cum huius Ecclesiæ instauratio talis non esse videtur, qualem optaremus: spes illa nos consoletur, fore, vt aliquando in cælis conspecturi simus multò excellentio-

rem, quàm in orbe terrarum vnquam fuerit: neque tamen interea desinamus persequi qualemcunque instaurationé, quæ vtvt potest, vtcunque sese refert ad formam priorem.

Quod ad Rempub. attinet, quàm mirificè concutis & labefactas, Caluine, nihil dico. Quæcunque tandem eius forma placuerit, non repugno. Sed neque eam Romanis legibus, has licet prædicare & interpretari soleamus, neque magis quàm Mosaicis, alligatam esse contendo. Dissimulare tamen non possum, in hoc quoque genere iniustam quandam esse tuam intemperantiam. Cum hodie, in gratiam tuam, relegerem Maccabæorum historiam, cuius paulò antè memini, legi tuum illum Iudam fœdus cum Romanis ferijsse: & in eadem historia obseruaui, non temerè laudari Senatus Romani pro Republica curam, continentis populum in honesta moderatæ vitæ ratione. Sed cum eodem tempore tuos in Danielem commentarios percurrerem, miratus sum, te, illi tam laudatæ Reipubl. supra modum maledicere. Nam cum Cyneas ille sapiens Pirrhi legatus olim dixisset, tot videri posse Reges, quot Romæ viderat Senatores,

natores,tu exclamas multò melius dictum fuisse,totidem esse latrones & tyrannos. Ais nullam in ijs fuisse micam æquitatis. Ciceronem vocas impurum rabulam:catonem, nebulonem. Totum illius Imperij corpus fuisse horrendam colluuiem.In tota illa gente fuisse immanem barbariem. Non fuisse Rempubl.sed confusum nescio qùid,monstro simile.Hæc(inquam)cum legerem tam intemperanter & iracundè abs te dicta scriptaque,equidem propè attonitus obstupui:& iurisprudentiæ nostræ odio quodam in ea te erupisse sum suspicatus:neque talem iniuriam facilè potui concoquere. Religionis veræ & contemptores,& aduersarios & imperitos fuisse illos Sapientes Rom.merito vociferaris,& ego iampridem accusaui profana eorum iudicia, & laudaui Augustini censuram de Varronis libris rerum diuinarum atque humanarum. Sed ciuilis iustitiæ atque æquitatis nullam in illo Senatu,in illa gente,in illa Repu. fuisse aut scientiam aut curam,qui tecum dicere possem,cum ex Iuris& legum Ro.libris quotidie longè aliud percipiam ? An iam tibi liceat,quod illi olim nõ licuit,qui in veteri Satyra laudatur,quòd ciceronem Allo-

broga dixit: videris. Vereor enim, ne literatos omnes propterea habeas infestos aduersarios, & ipse tuus filiolus Ciceronicola, multò magis, licet clam, tuo conuicio maledicat, qui, honoris ergo, Ciceronis orationes istic excusas, tibi donàuit, dicauit, consecrauit. Sed Catones, Fabricios, & similes, habere pro nebulonibus, graue est: & ipse Zuinglius tuus, si uiueret, hoc conuicium tuum minimè ferre posset, qui etiam illis plus tribuit, quàm religio nostra permittat. Quid Melanthonem tuum tibi opponam: qui vnus & rép. & Senatum, & Iurisprudentiam Rom. magis prædicat, quàm quisquam nostrum? Neque mei nunc instituti, neque huius loci est, vel hanc causam agere, quæ sæpe acta est, vel dignitatem Iurisprudentiæ Rom. cui operam damus, vel artem ęqui & boni, quam profitemur, vel eius auctores defendere: quod factum alias satis superq; fuit. Cæterùm vt tibi rursus satisfaciam, iterumque iterumque profiteor, causam religionis veræ, quam illi impiè pessundare voluerunt, longè præferendam esse, & Rebuspublicis omnibus, & cuicunque dignitati ciuili. Quinimo lubenter audio, quod ex Iesaia refers, propter Ecclesiam & con-

ditum

ditum esse & consistere hunc terrarum orbem, qui in nouum alioqui chaos recideret. Sed neque ipse ignoras, toties me hoc egisse, studium vt religionis cum studio Iuris Ciuilis coniungendum esse, & illud huic præire debere, probarem: vt hoc meum desiderium profanis quibusdam Leguleijs in tuo etiam sinu latitantibus molestissimum fuerit, neque tu illi fueris æquior, qui nihil rectum putas, quam quod ipse & facis & præscribis. Imò verò, vt illi suauiter irridét me ista curare, cum neque Theologus sim, neq; in Ecclesia quicq̃ habeam muneris, neque mea priuatim intersit, etiamsi omnia perturbes atque pessundes: mihique propterea obijciunt illud ex Comædia, *tantúmne est abs re tua ocij tibi, aliena vt cures, eaq́, nihil quæ ad te attinent:* sic tu qui tanto magis laudare deberes solicitas piorum hominum (tui licet ordinis non sint) de religione cogitationes, tamen eos magis ferre potes, qui alijs literis addicti, planè abijciunt atque respuunt studia religiosa, quàm qui, vt his operam aliquando dent, res alioqui suas negligũt. Vale.

Ex vrbe ix. Kal. Nouemb.

1563.

EIDEM.

QVO die superiorem epistolam scribebam, & alteram quæ libris Optati Mileuitani præfixa est, iam ad te dederam, eodem forte die & accepi & legi literas de me tuas: quas, honoris causa, præfixisti quibusdam Theodori tui Bezæ siue maledictis, siue conuicijs, quæ tu mihi pro triplicatione, nunc demum reponis, toto post meam duplicationem sesquianno. A quo iudice talem ampliationem impetraris, nescio: sed video te nullam iuris nostri rationem habere in hac tota actione tua. Nam & illud iniquũ est, quod non solum iam mihi substituis alium aduersarium, vt te scilicet liti eximas, quodque hominem infamem pro te postulare, & accusationem abs te inchoatam persequi velis: sed etiam, quod astutè relicta principali quæstione, vt primam causam eludas, insidiosè captas nescio quę diuerticula: & ex multis tamen, quæ occurrebant, non nisi in ea ingrederis, quæ [illegible] proposita magis aliena sunt. Sed abs [illegible] hæc fugæ tuæ & offensionis quò magis [illegible] videntur, tanto minus signa quædam [illegible] aspernari debeo. victoriæ spem oblata [illegible]

Neque

Neque si per alios causam inter nos cœptam peragi velis, magnopere recusem: cognitorem quidem certè talem das, vt tam turpe atque ignominiosum tibi futurum id sit, quàm mihi propterea etiam expetendum, præsertim si lubeat, exemplo tuo, non in rem, sed in personam agere. Sed (crede mihi) tã me nõ delectant desultoria hæc tua certamina, quàm minimè etiam terrent. Nam & tuas huius generis infinitas siue digresſiones, siue excursiones cur reformidem, nõdum video. Quid enim? Cùm in altera responsione mea curiose aliquid diu inuestigasses, quod potiſsimum arroderes, & in quo me pungeres, nihil iam aliud reperisti, quàm quod ego fortè, cum me mirari nuper dicerem, te antiquæ Ecclesiæ veteres formulas tam facilè delere, licet in tuis nouis ne verbum quidem mutari velis, admonitionem hanc adiecerim : *Cùm amici tui te verecundè monerent multos mirari, quod in noua tua precandi formula præscripsisti, posse Christianos, melius fœdus, quam sit illud, quod cum Abrabamo ictum fuit, allegare, & vt ambiguum captiosúmque verbum tolleres, te rogarent, ne quis diuersa esse hæc fœdera periculose putaret : tu seditiosos esse hos monitores, tumultuose exclaistam*

maſſi, qui vel vnum apicem deleri in tuis libellis vellent. Quid iam tu? Factum confiteris: de iure litigas. Fateris (inquam) te ab amico illo, qui tuam formulam reprehendebat, admonitum eſſe, eumque propterea abs te eſſe caſtigatum. Sed contendis, eum temerè & inſcitè feciſſe, qui ſparſerat, non eſſe dicendum melius, quod eſſet idem. Iam hæc altera eſt quæſtio, quæ ad me propriè non pertinet: neque tamen tu in ea tantus theologus valde habes, quod triumphes: & verò ſi ille, qui & Iuriſconſultus & Senator erat, nunc viueret, fortaſſe tibi reſponderet. Promptum (inquis) fuit, producto Apoſtoli teſtimonio hominem pudefacere. Quónam tandem? Procurator tuus Beza indicat in Epiſtola ad Habræos fieri mentionem χρείττονος, (χρέιττονος ab optimo eius librario cur excuſum ſit, neſcio) διαθήκης. Sed obſecro, quid hoc ad rem? Tu ipſe annotaſti, eo loco comparationem veteris & noui fœderis, ad formam potius quam ad materiam referendam eſſe. At cum in precibus allegatur fœdus, non de eius forma aut ceremonia, ſed de ſubſtantia potius, cui fides innititur, profectò agitur. Tunc ergo cur non pateris ſimpliciter dici idem fœdus,

dus,quod reuera idem eſſe fateris? omni-
no autem vis dici eſſe multò melius, cum
tamen alioqui nolis quenquam cogitare,
aliud eſſe? Quid (putas) tua plebs cogita-
bit,quàm eſſe alterum & plane diuerſum,
cum tantum audit hæc verba *multo melius:*
neque audit,vnde tu ea repetijſſe,te nunc
demum narras. Vbi id tractabis,quod tra-
ctat Epiſtola ad Hebræos, verbis ijſdem
rectè vteris. Sed vbi aliud agis, & populo
ſimplicem precationem dictas:an non ijs
abuti videberis, præſertim cum, ne quis
fallatur, nullam expoſitionem addas?
Quid? Non patereris, ſpiritales filios A-
brahæ(Chriſtianos dico) laudare fœdus
ictum cum Abrahamo? Non eſt mei inſti
tuti in hanc tecum diſputationem nunc
deſcendere, neque mihi arrogo magnam
harum rerum ſcientiam,ſed magnam ſci-
licet habet cauſam tuus Beza, cur hic ex-
clamet,me in manifeſta inſcitia,impuden
tia,blaſphemia eſſe deprehenſum. Quan-
tò meliori iure dixerim, hic non minus,
quàm alijs in locis, deprehenſum teneri
manifeſtam veſtram arrogãtiam atq; per-
uicaciam, qua, dum morditus, quicquid
temere ſemel arripuiſtis, defenditis, ni-
hil nō fingitis potiuſquam aliquid in ve-

ſtris dictatis notari poſſe fateamini, qui tamen in veteris Eccleſiæ formulis tam & temere quiduis calumniamini, & facile omnia deletis atque inducitis.

Alterum, in quo tu me exagitare vis, ſed ego te tuis verbis conſtrictum teneo, diuerticulum, quod delegiſti, non minus te premit. Ego te aliquando verecundè admonueram, & meminiſſes, non temere abs Bucero tuo caſtigatum fuiſſe te, quòd iudicares prout amares, amares autem prout libet. Hoc me improbiſsimè finxiſſe, exclamaſti, Deum & Angelos teſtatus, & diram inprecationem addidiſti, ſi quid vnquam tale audieris. Ego & manum & ſcripturã tuam & verba protuli, quibus Bucero ita reſpondens: *Iudicare me ſcribis, prout amo: amare prout libet*. Addidi & & alia ex eadẽ epiſtola, quę grauiora ſunt. Quid tu nunc? *Buceri* (inquis) *verba hæc fuerint: iudicamus prout amamus, &c. Dexter interpres Balduinus, quo ſit odioſior expoſtulatio, mutata perſona, id in me torquet*. Atqui tu ipſe Caluine id ita interpretatus es, & in te ac de te dictum illud eſſe diſertè ſcripſiſti: neque aliunde, quàm in tuis literis, quid illud eſſet, reſciui. Tua enim, non Buceri, verba, legi. Neque ad rem pertinet, quòd

epiſto-

epiſtolam tibi ſurreptam eſſe fingis. quanquam ne id quidem probabiliter fingere etiam poſsis, cum epiſtolam ad alium ipſe miſeris,& ab alijs legi volueris, & ille quibus voluit communicare ſuo iure potuerit. Itaque putidum eſt, quod hic de monedula furace & ablatiuo neſcio quo patruele fingis:& potius cogitare debueras, quid replicari poſsit de domeſticis tuis vulturibus atque harpijs, deq́ue fratre conuaſatore minimè datiuo, deq́ue affine & ſocero aliarum mercium quàm chartarũ ſpolijs onuſto: imò verò de tota illa ſocietate ad auferendum & rapiendum potiuſquam dandum comparata. Sed hæc ab alijs audies, ſi pergas. Illud modo, ne aliud agam, abs te quæro: ecqua tandem fronte neges Bucerum ſua admonitione te pungere voluiſſe, cum ijſdem literis multò acerbiora ad te ab illo ſcripta eſſe profeſſus ſis, cum quidem te (vt ipſe narraſti & ſcripſiſti) appellaret canem rabidum, fratricidam, maledicendi morbo infectum, & quid non? Tu hæc iam ſuauiter diſsimulas. Cautè. Sed inde repetere velle tuam defenſionem laudés ue tuas, non eſt hominis profectò ſani. Et tamen hic etiam ille locus

eſt,

eſt,in quo tuus Beza,tibi de more ſuccl-
nens rurſus ſuos pæanas magnificè canit,
perinde atque ſi omnibus hominibus &
cerebrum iam eruiſſet,& oculos confixiſ
ſet.Quid verò pluribus opus eſt? Finga-
mus te iam non temere negaſſe,Bucerum
de te illud ſcripſiſſe,quod tamen ſcripſiſ-
ſe antea affirmaras: fingamus, de præpo-
ſtero tuo iudicio nihil dixiſſe.Fingamus,
quod de mulieribus dici ſolet,de te, viro
renato,neminem vnquam dictitaſſe, nul-
lum aut in amore,aut in odio modum eſ-
ſe tuum.At tota etiámnum & conſuetu-
do & actio veſtra clamat, id ab omnibus
de vobis & dici & ſcribi debere: adden-
dum etiam eſſe,vos & amare & odiſſe, &
iudicare & loqui,& agere ſemper prout
expedit. Adeo & regenerati & reforma-
ti ſunt omnes veſtri affectus. Neque ve-
rò teſtimonium longius repetendum eſt.
Ipſe,ipſe tuus Beza in hac actione ſatis ſu
perque id exponet. Ergo & tu iam illi in
decurſu lampada tradis: & cum ſingula-
ri elogio hunc pręſtigiatorem producis
in proſcenium, profeſſus te non parum
oblectari concinna & ſimul omni fuco
pura eius optimi & integerrimi (vt ais)
fratris tui reſpóſione,in cuius (vt narras)
ſince-

ſincera ingenuaque defenſione veritas ita ſplendeat, vt victrix ſupra omnes Balduini nebulas emineat. Quænam ſit hæc illius optima integritas, quam prædicas, & concinnitas, & ſine vllo fuco puritas & ſinceritas, & ingenuitas, & veritas victrix, ſplendens, eminens: paulò pòſt alij liquidò intelligent, & de tuo teſtimonio iudicabunt. Sed illud nunc ſcito, multos mirari, tam ſuauiter complexum eſſe te illud funeſtum animal, ex nefarijs ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum. Scito & illud: quicunque illi reſponſurus ſit, reſponſurum eſſe hominis furioſi, non orationi, qua ille vti non poteſt, ſed conuicio, cuius exercitationem, cum intollerabili petulantia, tũ etiam diuturna impunitate muniuit. Iuuat enim nunc te etiam oblectare verbis Ciceronianis. Cum ego quicquid ille tecum nunc miſcuit, fortè legerẽ, quo tempore Auguſtini aduerſus Donatiſtas ſcripta relegebam, venit in mentem, quod Petiliano Auguſtinus obijcit, eum nec dicere, nec tacere potuiſſe. Imò verò quod Donatiſtarũ antiſtiti Gaudẽtio reſpõdit, ſimpliciter nunc reſpondẽdum tibi eſſe.

Accepi (inquit) *Gaudenti, responsionem tuam, si tamen responsio dicenda est, quam mihi propterea referre voluisti, ne si tacuisses, diceremus te esse conuictum. Sed hoc non est respondere, quod est non tacere. Nam si hoc est: respondisti planè. verum etiam hi, qui de te aliquid possent sperare nouerint te non inuenisse, quid respondere deberes, & tamen respondisse, ne taceres. Itaque cum caueres, ne victus dicereris, fecisti vt ostendereris.* Hæc ille. Quæ an de te tuoq; subsidiario declamatore, nunc iure dici possint, alij ex reipsa æstimabunt: qui & te (vt credo) aliquando rogabunt, vt si quid habes, quod ad quæstionem principalem pertineat, dignum publica cognitione, illud sedatè proferas: & per alium, quàm Theodorum tuum, agas, si de religione agere vis. Nam Bezam qui nouerit: non putabit de ea seriò agi, si agat ille. Ludum potius aliquem esse existimabit: atque etiam indignè feret, ab homine infami & incesto contaminari causam sacrosanctam: tibique postremo objiciet, quod ipse 1. cap. ad Hoseam prophetam annotasti, talem hominem tota vita latere potius debere, quam suscipere munus propheticum. Sed licet fortè aliquid rectè ille diceret, optandum tamen esset, id ab alio

potius

potius dici: vt olim Lacedæmonij senten tiam bonam, quam homo improbus dixerat, iusserunt abs viro bono & honesto recitari, ne mali auctoris infamia obesset sententiæ bonæ.

Quod attinet ad conuicia: quid vis aliud tibi respōdeam, quàm quod eundē Augustinū eidem Petiliano respondisse, hodie quoque relegebam. *Si* (inquit) *& ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere: quid aliud quàm duo maledici essemus? vt ij, qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sana grauitate, alij suauiter haurirent maleuola voluntate.* Sed tu iampridem aliorum iudicia contemnere didicisti, & factionis tuæ præsidium maximum est in tua excellenti arte maledicendi, non minus quàm mactandi, neque tamen non miratus sum, te theologum tantum, tamque reformatum, tuam nunc declamationem exorsum esse, & abs poëtica fabula, & abs canino conuicio atque latratu: neque interea cogitasse, quid statim audire posses, cum non solum simul fatearis irritabilem tuam esse naturam, sed & in eadem propè pagina agas de literis Buceri, in quibus ab ipso te canem rabidum appellatum esse alibi scripsisti. Sed & metuere debebas,

bebas, ne quod de alio tuo familiari ambusto scripsisti, tibi obijceretur: *Canina illa mordendi latrandique rabies, quam ebulliunt omnes scriptorum eius paginæ, satis testatur, quales hominem spiritus instiget*. Turpe profectò est hoc totum, & miserum, & inhumanũ, & abhorrens abs ingenua liberaliq; consuetudine, & verò imprimis indignum hominibus Christianis, loquendi genus: tantoque propterea magis ab ijs alienum esse deberet, quod barbara illa Turcarũ colluuies hac potissimum phrasi vtatur, vbi de ijs agit, qui Christo nomen dederunt. Sed tua Rhetorica, religionis, quam prætexit, oblita, tuos docet nouum hoc & insolens maledicendi genus: quod, nescio quo modo etiam inuiti addiscũt, qui tecum sæpius confligari coguntur. Debueras potius Caluine, cum Hecubę fabulam narrabas, & deflere rerum humanarum erumnas, quas illa in tragœdia deplorat, & illustres de illis sententias, quas eadem Regina fundit, perinde atque si oracula ederet, grauiter recitare. Sed te (vt video) tam oblectant tales miseriæ atque confusiones, quàm tragicis imprecationibus etiam delectaris. Neque tamen me, vel si, quod Euripidi, qui à canibus

dilania-

dilaniatus esse dicitur, accidit, ferendum sit, deterrebis tuis minacibus conuicijs, quin aliquam consolationem ab eodem etiam poëta, Hecubam exprimente, aliquando repetam: & interea, quod apud eum illa mulier de ingrato Vlysse, qui Polyxenam, vnicam miseræ Reginæ filiam ad mactationem poscebat, merito conquerens, exclamauit de hoc toto genere τῶν δημηγόρων, subinde obijciam tui generis declamatoribus καὶ δημαγώγοις, ac iustissimam hanc quoque meam querimoniam esse palàm ostendam, neque in gemitu meo emittendo periculum vllum, quod impendere scio, reformidabo. Id olim minimè reformidaui, cum tuam sectam, quo eam tempore putabam esse religiosam, secutus sum, quam alij periculo deterriti refugiebant. Nunc, cum rectam non esse video, quamuis eam sequi iam quæstuosum etiam sit, & propterea (ô excellentiam humanæ vanitatis) affectentur multi, refugere me non dissimulabo, vel si abs te dissentire tam periculosum nunc sit, quàm erat antea, consentire: Ac si fortè hæc ætas suis factionibus fascinata, & dissidijs implicata nihil discernat: spero aliquando sapientem posteritatem liqui-

dò iudicaturam esse de nostro & aliorum facto, vbi (inquam) adsit vel religio, conscientia, grauitas, pudor: vel factio, improbitas, leuitas, impudentia. Interea si quando tu olim malos antistites castigans, non temere vsus es quadam comminatione: vide, num tuos actores ijsdem verbis terrere liceat. *Ne sibi* (inquis) *nimium blandiantur, quod nunc magno applausu, & secundis, magna ex parte, admurmurationibus, fabulam suam agunt: cogitent, nondum ad catastrophen se peruenisse, in qua certè nō habebunt theatrum, vbi suos fumos impunè vendant: vbi credulas mentes illaqueent: sed vnius Dei arbitrio stabunt vel cadent: cuius iudicium non ab aura populari, sed à sua ipsius inflexibili æquitate pendebit: qui non modo de cuiusque factis inquiret: sed de recondita cordis sinceritate vel nequitia, quæstionem exercebit.* Iam verò si ex eadem epistola ad Sadoletum tua, in qua, quantulumcunque in te fuit ingenuitatis, olim ostentare voluisti, vellem repetere cōclusionem meę: tuis verbis dicerem. Non æquis modo lectoribus iudicare, sed tibi quoque reputare promptum est, quot & quàm iustis rationibus in hoc certamen descēderim: si tamen certamē dici meretur simplex & moderata innocentiæ meæ aduersus ca-

lum-

lūniosas tuas criminatiões defensio. Sed faxit Dn̄s, Caluine, faxit Deus ille noster (quem nō esse Deū τῆς ἀκαταστασίας scripsit Apostolus) oēs vt rerū priuatarum & inaniū contentionū obliti, serio procuremus, vt sancto Ecclesiasticæ vnitatis vinculo, Christus, qui nos Deo patri recōciliauit, in corporis sui beatā societatē nos oēs ab ista misera dissipatione recolligat: vt eius verbo & spiritu in cor vnū & animā vnā coalescamus. Ego, quod suo tempore Gregorius Nazanzenus, Ecclesiæ funestissimo Arrianorum schismate dissectæ conditionem deplorans, precari solebat, nō desinā summis & assiduis precib⁹ orare, ἵνα (dicebat pius ille antistes) κοπάσῃ μικρὸν ἡμῖν ὁ πόλεμος, ἵνα γενώμεθα ἡμῶν αὐτῶν, καὶ ἀλλήλους ποτὲ γνωρίσωμεν, ἵνα μηκέτι ὦμεν ἀνθ᾽ ἑνὸς τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ἰούδας καὶ ἰσραὴλ, μηκέτι ῥοβοὰμ καὶ ἱεροβοὰμ, μηκέτι ἱερουσαλὴμ καὶ σαμάρεια, αἳ ἐν μέρει διὰ τὰς ἁμαρτίας παραδιδόμεναι, καὶ ἐν μέρει θρηνούμεναι. Vtinā verò, vtinā hoc tēpore & eius precationis, & ipsius, cuius illa meminit, historię magis meminissent, qui de religiōe nimiū lubenter litigare, & dissensiōis dissectonisq; cupidiores, q̄ vnitatis esse vident: & verò altare cōtra altare at-

tolli(quod antea ſemper viſum fuerat eſ-ſe nefas)quam & reformationem primũ, & deinde conformationem vllam vrgere malunt.Sed hic quoque cumulus eſſe debuit noſtrorum malorum,qualem & Maiores noſtri (veteres dico Chriſtianos)in ſuorum temporum ſciſmate pertulerunt.

Accedit autem & altera confuſio, cum tanto magis ſcinditur incertum ſtudia in cõtraria vulgus,quia cõtrouerſum in hac partium altercatione nũc etiã ſit, vbi hodie ſit Roboam, vel Ieroboam:vbi Iuda, vel Iſrael:vbi Ieſuralem, vel Samaria. Ac tu quidem Caluine,nimium(vt ſoles) audacter atque confidenter in tua cõtra me prima declamatione pronunciaſti,nõ poſſe partes tibi aduerſarias melius comparari,quàm cùm Iſraële,hoc eſt,cum decẽ illis tribubus,quæ ſecutæ ſunt Ieroboam, & abs Dauidis ſtirpe,Temploq; Solomonis deſciuêre,ſimulq́ue non obſcuri ſignificaſti,velle te partes tuas conferri cũ Regno Iuda, ſiue cũ illis duabus Tribubus, quæ nõ defecêre. Non obijciam iterum, ipſos quoque olim Donatiſtas eadẽ comparatione vſos,ſic egiſſe, ſic locutos eſſe, cum alios omnes, præter ſeſe clamarent eſſe

esse apostatas. Sed vt illos, nō dubitas inuersa cōparatione abusos esse, cū se & suos fallerent: vellem etiam, magis hîc tibi caueres, ne nimiū præceps, atq; in isto æstu iracundię prępost erū, in tua causa, iudicium, te multosque fallat, & alijs grauē iniuriam faciat. Neque non vellem, diligentius quoq; curasses proximis hisce aliquot annis, ne iure dici posset de tua Hierapoli, quod Hoseas cap. 6. de Galaad oppido Leuitarum, & nobili (vt scis) asylo, dixit, interea dum simul & Israelem accusaret. Verbum intelligenti sat esse dicitur. Itaque in odiosa exprobratione verbosior non ero. Sed cùm eum Prophetæ locum ex tui, quoque Tremellij sententia, interpretaris: quid tam domi tuæ agatur, obseruare debebas, ne longius exempla repeteres. neq; aliò te excurrere oportebat, cū paulò antè idē Propheta negat, ibi esse Dei notitiam, vbi mendaciū & furtū & parricidium grassatur, & (vt loquitur) sanguines sauguinibus contigui sunt. Est hoc quidem ingeniosæ cuiusdam artis, in alios semper deriuare, quod de te dici posset: & tua peccata dissimulare, dum aliena exaggeras. Sed cogitare etiā deberes, alios aliquid & videre & sentire, & iudicare:

neque omnes abs prępostero tuo iudicio pendere, cũ & teipſum abſoluis, vbi reus es, & ſimul, vbi es accuſator, alios condemnas. Falleris, mi Caluine, falleris (cum tantum tibi ſumis: neque quid tibi obijci iure poſsit, curas. Nobile (fateor) & illuſtre eſt vetus exemplum Iudæ atque Iſraëlis, cum quæritur de Apoſtaſia aut ſchiſmate Eccleſiæ. Sed in applicatione (vt loquuntur) claudicas. Vicioſa ſaltem (vt ſcis) eſt collectio, vbi pro confeſſo ſumitur, quod eſt controuerſum: vbi (inquam) eſt illa (quam vocant petitio principij. Ergo non poſſum nó mirari, quæ temuléta confidentia, tam valde te inebriet, vt ſtatim, quod vis, efficere atque euincere te poſſe in re tanta putes, vel ſolo ſibilo, vel confuſo aliquo clamore. Nihl eſt cur labores in exemplo explicando, quod eſt notum & confeſſum. Sed cum ad aliorum temporũ vſum referre id vis: tum verò, laborandũ tibi eſt, vt nihil detorquere, nihil inuertere, nihil deprauare videaris, atque vt præſtes probesque, quod ſcis requiri, vt te eripias, aduerſariũ conſtringas. Saltem, notatis etiam temporibus, liquidò imprimis oſtendere debebas in hiſtoria Eccleſiæ Chriſtianæ, quod in Iudaica legimus, vt

certa

certa sit similitudo defectionis. Debebas & hypothesim tuam in collatione ita pingere, vt etiam (cũ voles) Ieroboã pro Roboã, & rursus Roboã pro Ieroboam, & Iuda pro Israële, & Samaria pro Hierusalẽ, atq; ediuerso, habeatur, agnoscatur, salutetur. Nam vereri alioqui debes, ne exemplũ, quod laudasti, in te retorqueatur, & te premat, potiusquã liberet, si homines simplices singula propius excutiant. Quid enim? Audimus Iudaicã Tribũ, vt vt multis & superstitionibus & vitijs contaminata sit, tamen qui perstat in Templo Solomonis & in eadem successiõe, haberi pro Ecclesia Dei. Alias verò Tribus, vtut maiorem siue pietatem, siue religionem simulent, & maiori gloria elatæ sint, tamẽ, quia nouum altare erexerunt, damnari defectionis. Vtrunque quidem Regnum, multorum scelerũ accusari: sed hoc posterius multo magis, quia (vt ipsemet fateris) in externa quoq; specie religionis peccaret, hoc est, abs Tẽplo Solomõis secessisset. Sint sanè nõ dissimilia nostra tẽpora (quod cũ lachrymis confiteri cogimur) Sed (iterũ dico) cũ instituent παράλληλα, verendũ tibi est, ne in collatiõe offendas; & ex comparatione aliud, quàm putas,

judices sani cordatique colligant: neque etiã exemplum ipsius Iehu, quod repetũt tui reformatores ex Regno Israëlis, te liberet: neque rursus tibi prosit quod tu in eadem illa tua Declamatione prima, mihi obijcis, Vriam Sacerdotem, altare simile Damasceno erexisse atque extruxisse in Templo Solomonis. Nam cur illud tandẽ mihi exprobras? Cur non potius caues, ne cum Tribui Iuda, tuam Tribum compares, simile quippiam de tuis nouis substructionibus dici possit? Equidem laudo Ezechiam Regem, si eum dicas Damascenum illud altare euertisse, & Templũ purgasse. Sed tam obseruare deberes, eũ simul non deiecisse altare abs Solomone extructum: quàm, quia confregit Serpentem æreum olim abs Mose erectum, existimare non debes, tibi licere, quiduis in Ecclesia tollere, abrogare, abradere. Memini etiam te in eadem declamatione obijcere, quod non solũ Hoseas, sed & Malachias fulminant aduersus malos sacerdotes. Rectè & fortiter. Sed obseruare rursus debueras, Malachiã, vbi probauit eos nõ stare pactis & cõditionibus Leuitici sacerdotij, tamẽ hoc alioqui nõ inuadere. Scis minime mea priuatim interesse, quantum tibi

tibi sumas vel non sumas: & ineptè propterea mecum ea de re litigas Rei pedibus trahantur, per me licet, vt ille olim Romanus dicebat. Sed tua interest, aliquo freno admonitionis, vehementiam tuam atque intemperiem reprimi. Neque tamen nunc illud suscipio, vt te, potiusquam me, admoneam, aut quicquid ex illis sacris, quæ tu interdum contorquendo profers, exemplis colligi fortasse rectius posset, quod quidem etiam tua interesset abs te nō negligi, inculcare nunc velim. Sed præterire non possum, quod bonus tuus apostolus Beza in Posiaco conuentu interrogatus de ratione sui Ministerij, protulit exemplum Eliæ in Carmelo sacrificantis. Sciebat factum hoc singulare & extraordinarium multis modis fuisse. Non ignorabat legem non nisi sacerdotibus ex stirpe Aaronis permittere, vt sacrificent, neque alibi quàm in Templo Hierosolimitano hoc permittere: vt neque quicquam est, quod Prophetæ magis reprehendant in Israelitis, quàm quod alibi sacrificarent. Cur igitur Bezæ placuit nouum illud Elię exemplum? An quia Deus singulari quoque signo testatus est sibi placuisse? Minime. Non enim Beza aliquo tali testimo-

nio suum ministerium tueri potest. An potius, quia Elias tunc extraordinaria potestate vsus sacerdotes Baaliticos trucidarit? Quàm vereor, ne id nimium placuerit tuo Bezæ, qui hoc se imitatum sedulò esse gloriatur: neque sibi nunc obijci patitur, quod Christus respondit discipulis suis, aliud non dissimile factum Eliæ aliquando imitari temere volentibus. Amabo, mi Caluine, qui περὶ κακοζηλίας concionari soles, ecquid de tui huius boni Prophetæ vesania iudicas? Obsecro, quiduis potius in Prophetis selegito, quod imiteris. Alia præclara sunt Eliæ facinora in Israële, quæ imitari possis. Ego in nostri temporis schismate, tantum adijciam, si, quod iactas, Prophetas sequi velles, multo religiosius facturum esse te, si ad eorum modum & liber esses & continens: si plus tibi non arrogares; si quod illi non occuparunt, non occupares: si non esses dux aut assentator sanguinariæ factionis: si sanctæ conciliationis, potiusquam cruenti dissidij, hortator esses: denique si cum hodie quoque vides prodigiosum & horrendum & plusquam ciuile illud bellum in Ecclesia, quod Zacharias describit, *Iuda* (inquiens) *Pugnabit contra Ierusalem:* hoc

est, al-

est alterum in illa etiam vna, quæ sanctior esse videbatur, Tribu disidium atque schisma, quo nullum posset esse in ipsis visceribus funestius; ita cohorrescas, vt nihil nisi de sarcienda concordia cogites. Interea studio partiũ minus te dares, & ijs de principatu & titulo certantibus potiusquam de emendatione, magis imitareris Hosæam atque Amos, quos scis non minus in impietatem Iudæorum quàm Israelitarũ detonare. Imò verò Amos, tametsi aduersus Israelitas potisimum missus esset, prius in suos Iudæos inuehitur, & imprimis exclamat, eos spreuisse legem Iehouæ. Sed & eos accusat, qui non dolent propter afflictionem Ioseph. Quid & hoc exemplum te moneat, atque, vtvt interpretando eludas, abs te nunc exigat, non ignoras. Mihi modo liceat, in hac tam tristi rerum temporumque confusione, illam etiam precationem edere atque repetere, quam dictat psalmus octogesimus.

O Domine, qui pascis Israelem, ausculta: tu, qui Ioseph tanquam ouem ducis, qui sedes inter cherubim, affulge. Coram Ephraim, Beniamin & Manasse, excita potentiam tuam, &c. Tum vero, tum etiam, non solum sperabimus iterum fore, quod omnibus votis optamus, sed

& col-

& collecta rursus ecclesia, & post miseram dissipationem in vnum corpus coalescente, oculis cernemus, quod olim promisit Hoseas Propheta, *Congregabuntur filij Iuda & filij Israel vnà, & constituent sibi caput vnum.*

Non est meum, Caluine, de huius vnitatis restituendæ, schismatisque tollendi ratione differere. Non enim tantum mihi arrogo, non tribuo tantum: neque nescio, quanta sit intelligentiæ meæ, hisce presertim in rebus, imbecillitas, vel potius caligo. Sed vbi nihil præiudico, rogo, liceàtne liberè te consulere, qua de re idoneos huiusce quæstionis iudices lubenter rogauero? ecquid (inquam) placeat, quod hisce diebus ab homine docto atque religioso audiebam? Dicebat, dissidium religionis inter Iudæos Hierosolimitanos & Israëlitas Samaritanos, magis de forma quàm de substantia fuisse: neque tamen de forma tota, sed tantum de loco adorationis. Dicebat, Christum postremò hanc litem ita diremisse, vt quamuis Iudæorum causam meliorem esse significet: tamen neutri parti addicat: imo verò vtraque reiecta pronunciet, venisse tempus, quo neque in monte Hierosolymitano, neque in Samaritano

ritano adorandus sit Deus:sed vbique adoretur, & quidem spiritu atque veritate. Factum id esse in Ecclesia Christiana, quæ Apostolis abrogantibus ceremonias Mosaicas, suscescit, affirmabat, cum & ipse Christus tale tempus indicet:sed te reclamare videri, nunc primum tempus illud venisse, quo id præstares: Iudaismum verò in Ecclesia hactenus hesisse. Hic se abs te dissentire confitebatur: consentire verò posse, si tantum diceres, postremis barbarorum temporibus plures fortasse, quã erat necesse, cumulatas rursus ceremonias fuisse: vel eas, quæ rectè & vtiles erant, fuisse quodam abusu deprauatas. Quid igitur tandem? Vt lis finiatur, existimabat rursus cum Christo dici posse, neque eo, neque tuo modo agendum in cultu Dei esse: Neque tamen planè nouam esse effingendam Ecclesiæ formam:sed legitima reformatione redeundum esse ad eam, quæ fuit meliori seculo, hoc est, quam olim Ecclesia libera, & integra, & minimè barbara, secuta atque amplexa lubenter est, posteritati veluti præscripsit. Quam certè commodè & facilè imitari licebit, si tu in te tuís ve, vt in alijs, naturalem illam, quæ obstat, ambitionem, seriò castiges:

quam,

quam,cum de Samaritanis loquereris, castigandum esse scripsisti. *Quia* (inquis) *in precio esse cupimus, ægerrimè ferimus nos contemni. Adeóque hic est communis humanæ naturæ morbus, vt velit quisque sua vitia placere alijs. Si quis autem nos & nostra improbat, statim sine discrimine irascimur. Excutiat se quisque: & hoc superbiæ semen in animo suo reperiet, donec extirpatum à Spiritu sancto fuerit.*

Nihil verius dici posset. Sed quod alijs dicis, tibi dici non vis. Imò ne quid hic alijs concedere videaris, audes eodem loco dicere, statim ab Ecclesiæ exordio hac in parte, qua de nunc agimus, peccatum esse: quia (vt ais) plus valuit stulta Iudaismi affectatio, quã decebat. Vide, obsecro, si quid per iracundiã videre potes, & quos & quid accuses. Scis, ne Petro quidem, cùm videretur Ἰουδαΐζειν aut pepercisse aut indulsisse Paulum. Scis non modo ad Galatas, sed & ad Hebræos Epistolam expungere totum Iudaismum. Scis, ne is inualesceret, Apostolos magno consensu cauisse in suo statim Concilio Hierosolymitano. Scis, etsi de festo die Paschatis diu litigatum sit, tamen eorum opinionem non præualuisse, quæ ad aliquem Iudaismum accedere videbatur. Prætereo nostrorum non solùm acerrimas

timas disputationes, sed & seuerissimas leges aduersus Iudæorum non minus quàm Paganorum sacrificia. Interea ecquo tu ore audes dicere surgentem primum Ecclesiam, quæ in Iudaismo abolendo tantopere laborabat, Iudaismum stultè affectasse? Quid? Si ita sit, propè est, vt dicas Ecclesiam christi non fuisse. Si illa non fuit, neque aliam, quæ fuerit, ostendas; ecquo res redit? Quo ergo euasuram esse putas accusationem, quam instituis? Imò verò, qua eam probatione fulcies? Nihil enim egeris, etsi probes quædam semper in vsu fortasse fuisse, quibus & olim Iudæi vsi sunt. Scis enim non omnium veterum rituum eandem fuisse rationem: neque discrimen nescis. Et multũ etiã interesse, quo quid animo aut fini fiat, non ignoras. Denique multa sunt in speciem similia: quæ tamen eadem non sunt. Neque non quædã sunt, quæ communia vtrique populo esse possunt, & sunt omnium gẽtium temporumque. Exclamas quodam in Malachiam loco: *Quisquis altare erigit, euertit crucem Christi.* Hoc si nunc dicis de Iudaico altari Holocausti: fateor. Sed aliud fuit altare Christianorum: quod cum Christi cruce optimè

mè conuenire potuit: adeo vt & Ecclesia, ipsa & Ecclesiæ ministerium, altaris potissimũ verbo significaretur. Exclamas alio loco, veteres Christianos & voce & ceremonia sacrificij abusos esse. Tu abusum vocabis quicquid voles. Sed Augustini saltem interpretatio calumniam hanc depellit. Denique quia Iudæi suum Templum habuerint, Christianos nullum habere debuisse non probabis: neque iam (credo) velles tuos cœtus sub dio complui. Sed neque si verũ sit, quod quidam narrant de Iacobo fratre Domini, propterea dicere potes eum aut affectasse aut ambijsse sacerdotium Aaronicum. Equidem quo magis cogito, quò tendat tua nimium præceps cõtentio, tantò magis vereor, ne ea teipsum fallat, & eò impellat, quò fortasse alioqui recidere nolles, Cũ legis in epistola ad Hebræos tempus (vt vocatur) correctionis, agnoscis illud cepisse tempore Apostolorũ: Atqui iam dicere videris nullũ antea fuisse, & nunc primum incipere, hoc est, ceremonias Mosaicas antea abrogatas nõ esse, sed abs te hoc tempore tandem abrogari. Neq; minus insolẽs est, quod ex tuis dictis alius colliget, nullam hactenus fuisse formam Christianismi, cum & primos Christianos

ſtianos dicas ſtultè affectaſſe Iudaiſmum. Quis non multum obſtupeſcat, cum hoc ex te audit? memineris, ſi admiratio, quæ ſæpius recurrit, etiã me reddat battologũ. Sanè ſcis iã inde ab exordio Eccleſiæ execrabiles Chriſtianis fuiſſe Ebionem atque Cerinthum: qui (vt inquit Hieronym⁹ ad Auguſtinum) credentes in Chriſtum, propter hoc à Patrib. anathematiſati ſunt, ꝙ legis ceremonias, Chriſti Euãgelio miſcuerint. Quomodo igitur hos Patres affectati Iudaiſmi reos facis? Fateor, inter Hieronymum & Auguſtinum fuiſſe aliquãdo aliquid diſſenſionis, cum quæreretur, an Eccleſia naſcẽte, licuerit ceremonijs Iudaicis interdũ vti. Sed tandẽ eas fuiſſe abolẽdas, & ſuo tẽpore fuiſſe abolitas, conſentiunt: ſicuti & vno ore dicũt, eos, qui volũt & Iudęi eſſe & Chriſtiani, nec Iudęos nec chriſtianos eſſe poſſe. Auguſtin⁹ fatetur, exordio Eccleſię, interdũ in ijs, qui ex Iudæis Chriſtiani facti erãt, quaſdam ceremonias Moſaicas vtcunque toleratas eſſe: & eius tolerantię rationem, quam improbare nõ auderes, etiã reddit. Sed poſtea abs Chriſtianis omnibus irreparabiliter deferẽdas fuiſſe pronunciat: & laudat confirmatque illam Hieronymi proteſtationem, qui *recla-*

mante (sicuti scribit) *mundo, libera voce pronunciabat, ceremonias Iudæorum & perniciosas esse & mortiferas Christianis: & quicunque eas obseruauerit, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus, eum in barathrum Diaboli deuolutum esse.* Ac ne dubites id factum esse, quod fieri debuit: idem Augustinus alio loco: Iudaica instituta (inquit) à populo Christiano non fiunt, sed tantummodo intelligenda tractantur. Si replices, Christianos quidem hoc putasse: sed imprudentes fecisse, quod nec facere se putabant, nec faciundum esse credebant: incredibilis eos fatuitatis accusabis: & eò tandem recides, vt indicare videaris, illá Christi Ecclesiam, reipsa, tametsi aliter & diceretur & putaretur, nihil aliud propè fuisse, quàm alteram veluti Synagogam rediuiuam.

Sæpe iam testatus sum, me abusum & superstitionem posteriorum seculorum minime defendere: neque quia in prima tua declamatione, quod improbè finxisti, contumeliose obiecisti, me ab omni ceremoniarum reuerentia longissimè semper abfuisse, propterea, vt illud vitem, vicia in contraria curram. Sed eum, quem non tenes, modum tenebo, vt ad optimæ Ecclesiæ reuerétiam proximè semper accedam.

Vtinam

Vtinam verò, vtinam, quàm religiose & amicè & placidè inter Augustinum & Hieronymum acta huius generis causa & agitata quæstio est, tam inter nos transigeretur. Sed tu, quamuis in ea scripseris in epist. ad Galat. summos ab imfimis iure reprehendi, & libertatem hanc minoribus erga maiores permitti à Deo, quia forte legeras Augustinum in ea disceptatione scripsisse Hieronymo, à minore quolibet non esse refugiendam vel dedignandam correctionem: tamen, si bene te noui, talem nunquam legem accipies, neque eò te demittes: & nimis indignum esse statues, vt Theologus, qui magnus & maximus dici vult, cum Iurisconsulto, qui non recusat infimus videri, in tali arena committatur. Ego verò nihil etiam malim, quàm te cum alio cõgredi: neque ad eam, in quam epistola superiori ingressus erã, quæstionem nunc sum reuersus, quàm vt te interrogando excitarem ad secundas de re tanta cogitationes, quæ sapiẽtiores esse solent: vtque etiam te, si posim, aliquãdo reuocem ab alia, ad quã contra me excurris, & inani & exili & propè puerili disceptatione. Quæstio, quam nunc tibi propono, magna, & grauis, & te digna est. Al-

tera ad quā digrederis, putida, futilis atq; inepta eſt. Ergo hanc fugito: illi te dato. Ni feceris: ſed eludēdi cauſa rurſus captes in huius aut alterius vita illiberalem aliq̃ & aridam & ieiuniam materiam mendacis ſatyrę: dolebo profectò, non tam mea tamen priuatim, quàm Reip. cauſa, tali artificio te ab vtili quæſtione ad inanem concertationem excurrere: ſed interea tu tam frigida caluaque fruſtratione nihil aliud conſequeris, quam vt de fuga, trepidatione, offenſione tua confiteri videaris, & aduerſarium, ad nouam recriminationem, quæ te profectò punget, impellas. Equidem, ſi potero, & quandiu potero, conprimam iuſtum dolorem, præſertim vbi per tuas terribiles minas ne mutirę quidem licet: & probibere potes, ne ij quos luctu afficis, lugeant, (quod nullum vnquam in vlla Scythia tyrannum feciſſe aliquando dixit Cicero.) Sed non omnes, tamen ſemper & vbique obmuteſcere coges: & aliquis tandem erumpet liberior gemitus, qui tuæ & immanitatis & iniuriæ teſtis erit.

Ex vrbe Pariſiorum. Kal. Nouemb. 1563.

MICHAEL

MICHAEL FA-
BRICIVS LE-
ctori, S.



VM superiorib⁹ annis editus in Germania fuisset libellus de officio pij & tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis dissidio, notum est, quales, quantasque propterea turbas in Gallia excitarit Caluinus, edita famosissima, simul & furiosissima declamatione in Franciscum Balduinum Iurisconsultum, quem illius libelli auctorem fuisse, sine vlla vel causa vel coniectura probabili, fingebat homo nimium indulgens intẽperanti suæ melãcholiæ, & simul incitatus, partim Bezano spiritu, partim Ottomãnico flabello: vt hi Lucianici irrisores seni magistro lubenter illudunt, & quẽ adorant, dant præcipitem. Balduinus miratus se peti, cùm neque in talibus scriptis versaretur, neque illius libelli auctor subscriptórve esset, modestissimè respondit, eum nihil ad se pertinere. Itaque grauem sibi iniuriam fieri. Cuius etiam iniuriæ quódnam iudicium esse

deberet, ex iure ciuili ostendit, prolato Commentario ad leges de Calumniatoribus. De ipsa alioqui re principali, de qua libellus ille tam agebat temperãter, quàm importunus castigator infideliter, agere noluit, quia talem actionem relinquebat auctori, cuius hæ partes erant. Hac verò admonitione, tantũ abest, vt Caluinus manifesti peccati sui cõuictus, ad aliquam vel pœnitẽtiam, vel erroris deprecationẽ reuocatus sit, vt multo etiã magis fuerit tumultuatus, neq; in Balduinũ modo magis atque magis debacchatus sit, sed etiã in Georgiũ Cassandrum, à quo libellum illum scriptum editumq́; esse iam sciebat. Balduinus hominis furiosi rabiem rursus miratus, iterũ ei respondit & acrius & apertius: neque modo in personam, sed etiam in rẽ agere visus est: eamq́; deinde suam actionem confirmauit tertia quadam responsione, quàm libris Optati, vt occasio fortè ferebat, nuper præfixit. Interea ipsius quoque Georgij respõsio defensioque in Germania edita, in Galliam allata est: qua quidem vir & doctissimus & modestissimus, magis atq; magis aduersarij intemperiẽ, nõ dicã, repressit, (non enim reprimi potest indomitæ ferę furor insanabilis) sed

saltem

saltem sanis hominibus ostendit, nimium esse intemperantem. Ac principio quidem, vt calumniatoris in personam temere agentis flagitium patefaceret, sanctè confirmauit atque protestatus est, Balduinum, neque auctorem fuisse, neque adiutorem illius, de quo quæritur, libelli: imò ne conscium quidem vllo modo fuisse, priusquam in lucem emissus esset: ac ne tum quidem de auctore quicquam, præter suspicionem, habuisse. Itaque ea in re non simplici errore, sed multis & grauibus modis abs contumelioso calumniatore, peccatum esse.. Sibi quoque non minorem iniuriam fieri ab hoc homine ad calumnias (vt videtur) & contumelias conuiciáve nato factoque.

Tandem ijs quæ ad personas pertinent, relictis, de reipsa cœpit agere, vt libelli sui sententiam defenderet, & importuni castigatoris fumos discuteret. Quia verò hæc disputatio de re magna est, & est hoc tempore imprimis necessaria, & verò in Gallia desideratur, visum est, Reipublicæ interesse, vt ea recuderetur, ac relictis nunc alijs capitibus, quæ ad personas magis referuntur, simplicissimè & optima fide exponeretur summum caput principalis quæstionis, &

nis,& veluti vtriusque partis acta, quæ ad rem causamque pertinent, sola recitarentur, atque committerentur: de quibus deinde iudicium sanis cordatisque lectorib⁹ relinqueretur. Id verò cum agi intelligeret Caluinus,& de se actũ fore sentiret, si ita ageretur: neq; aut dubium aut obscurũ esse sciret, quin ea ratione, vt calumniæ dãnatus est, in prima quæstione facti, sic in altera, quæ iuris est, statim damnaretur, fecit quod homines perditi in desperatione solent. Excitauit aliquem Dauum, qui interturbaret omnia,& tumultuãdo rursus inuolueret atque permisceret statum causæ, & eum abs re in personam rursus transferret insidiosa auersione. Hæc enim est ars impostorum, vt cùm deprehensi tenẽtur, eludant, & veluti sparsis nebulis offusisq; tenebris effugiant. Sed & tanto magis Caluinus impulsus est ad incitandum aliquẽ perturbatorem, quia iam audiebat Balduinum Regijs literis ex patria reuocatũ esse, vt interesset placidæ cuidã & religiosę collationi de controuersijs huius temporis, si qua fortè tandem conciliatio iniri posset. Hic ergo rursus perculsus Caluinus tumultuatur, vt illa olim Athalia furiosa mulier exclamabat, Coniuratio, Coniuratio.

Quid

Quid igitur? Quia neque prima impeti-
tione Balduinum deiecerat, neque secun
da impresśiōe depulerat, plures licet συμ-
μάχυσ tunc coëgerit, nunc vt tertio effun
dat vim maiorem, aduocat principalem
suam furiam, & coniunctis cum ea virib'
in Balduinum iterumque, iterumque in-
currit: & quam principio fabulam de alie
no libello temerè sparserat, nondum ab-
ijciendam esse statuit. Mira est insania ho
minum ἀπηλγηκότων. Sentiunt sese palàm
offendisse atque impegisse in limine, cùm
hanc litem primam mouerunt, & fortasse
vellent initiò cautiùs egisse. Sed quiduis
nunc facient, potius quàm errorem con-
fitendo victi videantur. Non ignorant e-
ruditi calumniatores illud Quintiliani,
Nocet diu pugna in his, quæ obtinere non possu. Nam vbi vinci necesse est, expedit cedere. Culpam, quæ deprehensa præsertim est, pertenaciter tueri, culpa altera est. Verùm etsi culpā con-
duplicent, impunè id se facere posse pu-
tant. Sciunt sese in hac lite iam duobus iu
dicijs calumniæ damnatos, & bis terq; de-
pulsos, actum agere, præsertim tertio, nul
lo iure posse. Verùm istis hominibus ad
omnē audaciā impudentiamq; proiectis
persuasum est, sese nullis legibus teneri,

præſertim legionibus,armatos,& vi iam-
pridẽ ius oppugnantes.Nam & hoc habẽt
tanquam principium ſuæ (vt vocant) re-
formatæ religionis,alijs quidem, quibus
inſultare volunt, per ludibrium concio-
nari de pœnitẽtia:ſed ſe ad eam nunquã
demittere.Ergo reducem ſuũ,ſiue ſatelli
tem,ſiue bellatorem Bezam nunc ſubor-
nauit Caluinus,vt Balduinum tertio im-
peteret,& prioris cauſæ ſtatum perturba-
ret.Equidem mirabar dictatorem tam &
natura bilioſum,& duplici iam offenſiõe
irritatum,toto propè ſeſquianno tacere
potuiſſe,cum antea nemine eum attingen
te,tam importunam declamationem tan-
ta contentione exorſus eſſet:iamq; venie
bat mihi in mentem,quod eius primarius
diſcipulus ſcripſit,hanc eſſe iſtarũ beſtia-
rum naturam,vt ſi fugias,leones,non ona
gros, dixeris: ſin perſequaris, nihil fuga-
cius,etiamſi interfugiendum,ſubinde re-
ſtitent,& aêrem calcibus feriant.Sed con-
uiciator exhauſtus atque defatigatus, cũ
in tota ſua cohorte domeſtica, in qua tot
ſunt impudentes malarum partium pa-
troni,non reperiret ſatis idoneum in hac
cauſa rabulam, abſentem illum ſuũ Tria-
rium,qui deficienti ſuccenturiaretur,ex-
pecta-

pectabat, alijs in Gallia bellis gerendis, hoc est, sacrilegijs, latrocinijs, parricidijs occupatũ: qui vbi rẽ confecit, hoc est, euastato Galliæ regno summisit sicarium, qui conficeret inuictum principem, Regis Legatum, Regijque exercitus imperatorem, reuersus est fugitiuus furcifer ad suum asylum, vt sua trophæa sicarijs etiã libellis cumularet. Neque verò dubium est, quin cum ouans exponeret suo Pontifici præclara illa sua stratagemata egregius Flamen, non iam Dialis, sed Martialis, multis statim coronis donatus audierit illud,

Macte noua virtute puer: sic itur ad astra.

Ac fortasse subiecisset ex eodem Poeta,

Tu genitor cape sacra manu:
Me bello ex tanto digressum & cede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero. Sed lacum Lemãnum vidisse, vt se expiaret, satis esse putabat. Ergo alijs suis telis ad tempus sepositis, stylum, tanquam hastam, arripit, vt contorta fulmina recoctæ maledicentiæ huc & illuc eiacularetur. Sic enim qui pistolicus miles paulo antè fuerat, probare voluit se quoq; Apostolicum præconem atque declamatorẽ esse. Equidem putabam hominẽ tot flagitijs

gitijs infamem, præſertim perpetrato tã ſcelerato parricidio, hinc aufugiſſe, vt ſe abderet in aliqua ſolitudine, vel in ſua lacuna latitaret, indignus qui lucem aſpiceret. Sed in luſtris educatus ganeo, nõdum cum fronte amiſit meretriciam proteruiam, & in caſtris deinde confirmatus laniſta, quid non auderet, præſertim vbi induit galerum & laruã reformati concionatoris? Reuerſus ad ſuum collegium, ſupplex ſuum Pontificem dicitur rogaſſe cum formula. *Iube Domine benedicere*. Tum vero non ſine myſtica benedictione iuſſus eſt aduerſarijs maledicere. Ludendo quidem præfari nunc audet, ſeſe in ea vrbe viuere, in qua maledicere non liceat. Sed ſubeſt tacita exceptio, *niſi bonis*. Nam tum nemo neſcit illam eſſe officinam & fornacem maledicentiæ maledicentiſsimę: ne quis miretur vnde hic noſter tantum conuiciorum hauſerit. Ergo ſuperiori mandato armatus, induit tragicos cothurnos, & plauſtrum conſcendit quo inuectus debaccharetur in apoſtatas, hoc eſt, in eos, qui nefariæ coniurationis ſigna ſecuti non eſſent, & religionem Chriſti anteferrent factioni ſceleratæ. Nam quos manu nondum potuit, lingua & ſty

lo di-

lo discerpere se posse putat. Itáne vero Caluine alium non habebas, per quem de pietate litigares? Cùm Hotomannũ eius fraterculum priori actione aduocasse dicereris, rogatus es, ne elegantem magistrum Ciceronianæ ἀθεότητος nobis dares, tanquam religionis idoneum catechistam. Nunc cum das substituisque venerabilem Bedam, an nostro desiderio satisfacis? Imò verò nunquam magis in suspicionem, nescio cuius turpis & impiæ collusionis, apud bonos viros venisti, quàm cũ ij viderunt, tales duos Prophetas cingere tuum latus: esse tibi in delitijs, in sinu, in gremio, in amplexibus: cùm tamen non ignores vtriusque flagitia, & quid de altero Germania, de altero Gallia etiámnum ad te referat. Sed quando ita vis, habeto sanè tales contubernales magna tua cum infamia. Erras autem, iterumque erras, si aut Balduinum, aut alium, qui vos norit, reformidare putas talium emissariorum tuorum canum latratus. Viderint ij, quos tales viperæ, tigres, aut lupæ lacessunt, an aliquo respóso dignas esse putent. Ego tales (vtendum est tuo verbo) nebulones non voce, non verbis, non disputationibus castigandos esse sentio, sed legum mi-

nis,

nis,carceribus,ſuppliciis,vt Cicero latro-
nes,ſacrilegos, teſtamentarios.Nam Cice-
roniano iure tui illi procuratores vtun-
tur.Sed(quia tibi gratificari debemus)vís
ne,vt breuiter de altero nunc dicamus,
quẽ tu poſtremo delegiſti, vt in Balduí-
nũ incurreret, ſi fortè plus præſtare poſ-
ſet,quã tres illi aut quatuor,quos antea in
citaras?dicimus nõ potuiſſe te aduocare
patronũ magis quidẽ idoneũ ad maledi-
cendũ,ſed magis etiã indignũ, qui audia-
tur in recriminatione,in qua collocas ſpẽ
tuæ defenſionis.Certè multæ ſtatim præ-
ſcriptiões talem procuratorem repellũt,
neque in iudicio,niſi in reatu, ſtare pati-
untur.Nã & licet ius Ciuile cõtemnat,ta-
men non poteſt illud,quod ait Cicero,ni-
hil eſſe quod minus ferendum ſit, quam
eũ,rationẽ ab altero,vitæ repoſcere, qui
non poſsit ſuæ reddere.Sit ſanè illiberalis
exceptio,qua nunc eius effrenatam petu-
lantiam ſtatim coercebimus. Dignus eſt,
qui audiat,quæ nõ vult,qui in alios dixit,
quæ non debuit.Res(fateor)miſera & de-
ploranda eſt,cũ hominis literati probra,
quæ ſepulta latere mallemus, exponũtur.
Sed cum rabies huius furiæ alios indignè
laceſſentis repriméda ſit,cogimur præſcri

bendo

bendo profiteri, hominem tam infamem tamque intestabilẽ, nullo vel diuino vel humano, vel Ecclesiastico, vel ciuili iure posse admitti, vt non modo pro alio postulet, sed & alios criminet, & Ecclesię reformatæ imperet, & dẽt leges de religiõe reformanda: denique in cœtu bonorum neque ferendum, neque audiendum esse, donec legitimam egerit pœnitẽtiam, nõ dico omnium suorum flagitiorum, at saltem eorũ, quæ & vulgatiora & insigniora & turpiora sunt, vt adulteriorũ, sacrilegiorum, parricidiorum: quorum iam & conuictus & damnatus sit. Audio nunc tandem à Castellione coactum, vt illi satisfaciat, edidisse hanc flebilem confessionem: *Me miserum flens & gemens agnosco, per quindecim annorum spacium, quum alijs iustitiæ viam commonstrem, nondum sobrium, nondum liberalem, nondum veracem factum: sed in luto hærentem, & vix oculos attollentem, vno passu à carceribus ad metam progressum.*

Quis tui non misereatur ô noster pœnitens afflictissime Beza, cũ hãc tuam audit confessionẽ? Quis nõ dicat eũ nimiũ esse veram, propterea quæ in ea veracem esse te, si ex animo loquereris? Sed ita te geris,

ris vt nihil minus sentire videaris, quàm quod dicis. Deinde cum ita generaliter loqueris, tam cautè & astutè loqui videris, vt non ingenuè eloqui quod est, sed eludere velle videaris. Certè qui te norunt, exclamant vetus illud, *Non ita ageres, nisi fingeres.* Saltem dubitant, an cum interea iacere debeas inter pœnitẽtes, suprà Ecclesiã te attollere possis: & præterea quærunt, an aliorum peccatorum multo grauiorũ, quæ dixi, alia exomologesis necessaria nõ sit, priusquã aliis tam insolenter insultes prætextu cuiusdam ventosæ fictæque regenerationis, quæ te hominẽ flatuosum inflat. Te nondum factum esse sobrium, quia sanguinis gloriæq; sitis te inebriat, non miramur. Non esse te liberalem cur confiteris, qui in aliorum facultatibus diripiendis nuper tam prodigus fuisti? Veracem nõdum esse te, verissimè profecto dicis: sed habes paratam defensionem. *quia omnis homo mendax.* Cæterùm tu tibi, quod Balduino obijcis, suggerere debebas istud tui Martialis, *Dic de tribus capellis:* de tuis adulterijs (inquam) sacrilegijs, parricidiis: si fortè aliqua deprecatione infamiã, quæ tibi os obstruere debet, delere possis. Quod ad primũ gen⁹ attinet, ꝙ est

tur-

turpißimum, castißime Theodore, quia etiam tuis versibus gloriosè prædicasti atque publicasti tuos illos candidatos vesanosque amores, tetrasque libidines, nó requiris, opinor, aliud testimonium, quo conuincaris. Sed ferociter excipis, quia hoc crimen obiter cófitearis & vltro damnes, te iustificatum esse. Atqui cum alios reuoces ad seueram disciplinam Ecclesię reformatę, tu, qui huic præesse vis, quale putas edere exemplum deberes exomologeseos atque pœnitentiæ? & interea quã te demißè gerere? Et quo tandem antea priuilegio tam confidenter cristas cum supercilio attollis, & magistratum, quẽ vocas ministrum, in Ecclesia extraordinarium occupas, vt aliorum Censor fias? Certè excusatio, qua huius incesti peccati tui confeßionem nunc diluis, procul abest à legitima, vel canonica satisfactione, cuius disciplinam repudiare aut reijcere non potes. Ais te adolescentem fuisse & nondum Christianum, cum ederes illud vesanũ exemplum gloriosæ incontinentiæ. Adijcere debueras, te tunc etiã fuisse Protonotarium & Poëtam. Nam quod de adolescentia causaris nimis est infirmum. Eras enim maior annis, & nimium iã tum

F te fu-

te fuisse virum ostendisti. Imò verò iam tum tam eras, quàm nũc es, regeneratus, hoc est, Geneuensium partium: & cum talia mysteria euulgares, iam Geneuá mente & animo migraras, & istuc præmiseras tua pignora: & quod hic edebas tecum asportare volebas, tanquam specimen tui ingenij, cùm quidem etiam id etiam consecrares cuidam in Germania tuo præceptori, cui & Caluinus parens & Præceptor tuus alter, suos in Paulum commentarios, tanquam magistro suo dedicabat: quanquam non satis fortè obseruaueris, te talibus scriptis, Epicuræa licentia, celebrare ἀποθέωσιν Doleti atque Rabelęsi, sodalium quondam tuorum, quos eodem tempore Caluinus scribendo de scandalis referebat in Catalogum τῶν ἀθεῶν. Nescio quid monstri & mysterij latere in ea re dixerint nasuti homines tui ordinis. Sed non ignoras, quid de alijs nunc diceres, si quid ijs tale exprobrare posses. Videris porrò, quid præstare debeas, vt omnem suspicionem eluas : quàm profectò contemnere non potes. Nam quod nunc scribis Hotmannum tuum ne responso quidem dignum putare crimen ἀθεότητος, quod nescio quis illi aspersit: fortasse, qa
hoc

hoc fuit elogiũ Theodori illius, qui etiã olim dictus fuit ἀθεώτατος abs Theophilo Alexandrino nostro, minus in tuam gratiam nominisq; tui honorem id refugit. Sed cum securè permittis hoc eum dissimulare, vereor ne nõ satis illi caueas: tametsi magis ille posit istud negligere, qui quiduis esse hactenus maluit quàm tui prædicatorij collegij, quiq; de religione ne quid scribat, sedulo cauet: & cui nondum persuasisti, vt tunc nomen suum edat: nisi si fortè excipias illum testandæ suæ religionis ergò nuper præfixisse epistolam Institutionibus Iuris, in qua Principis cuiusdam protestantis non maiestatem, sed numen appellauit, vt aliquot Tal leros emungeret. Quis ergo dubitaret eum diuinitatis magnum esse cultorem, qui etiam profitetur sese colere numina Principum, si quid modo numerent? Sed ad rem. Ais te nondum fuisse Christianũ cùm in Gallia esses. An ergo in lacu Lemanno primũ baptisatus es? & cum ad eum appelleres cum tua Dea catechumenus, an inter pœnitentes sordidatus, vel potius candidatus iacuisti? Tua profectò interest, te tui meminisse, si fortè aliquis pudor reprimere posit hanc ferociam,

qua alios proculcas: vt cum pauo pedes suos intuetur, caudā demittit. Verùm difficile est coercere furentem insolentiam, cum rabie fera corda tument. Ne centesimā quidē tuæ nequitiæ partem scio: neq; inquiro, neque scire volo. Sed nonnulla quæ publicasti, nemo nescit: quæ certè sola te ita notant, vt obscurū esse nō posit, quam sis religiosus. Age, prętérita condonentur. Sed quid? Cùm Geneuæ initiatus esses, ne veterem hominem planè exuisse videreris, aut Histrionicā, vel potius Lucianicam personā deposuisse, statim istic edidisti lepidum illum tuum Benedictū Passauantium. O religiosum principium noui Christianismi & admirabilis regenerationis. Imò vero nūc, vt Balduinum terreas, minabundus etiam iactas, te nondū desijsse esse Poëtam. Credo equidem nō modo Poetam etiámnum esse te, sed etiā deterius aliquid, quod nimium poeticè olim expresisti. Ita est sanè sanctisime atq; regeneratisime Theodore, vt scis illud vetus, *Nemo repentè fit malus:* sic istud, *nemo repentè ex malo fit bonus:* multo minus ex Pagano Christianus, ex atheo Theologus. Si miraculum alicuius repētinæ conuersionis allegas, aliquod in te ostēdito.

Nam

Nam nõ ſatis eſt, fieri Allobrogem, mutare veſtẽ, erigere criſtas, contrahere ſupercilium, ſimulare Caluiniſmum, cantillare pſalmos rhytmicos, verba dare, maledicere ſiue Papiſtis (vt vocas) ſiue Papanis, ſi non omnibus, at certè ijs, qui tecũ nõ colludunt, & eos magis odiſſe, quàm Turcas Ottomãnicos. An hæc certa ſigna καὴ τεκμήρια ſunt perfecti Chriſtianiſmi? Neipſa quidem ſententia religionis ſola efficeret Chriſtianum, præſertim reformatũ & reformatorem, niſi conſcientia bona accedat. Cõſcientię autem bonę & fidei ἀνυποκρίτου quænam indicia, argumenta, fructus, cõditiones ſint, nõ ignoras. Ergo ſis licet ſciens non minus quàm δαίμων aliquis, tanto tamen magis eris impius, ſi religionem in ſola ſcientia conſtituis: neq; minus eris filius eius, quì à principio fuiſſe homicida & mendacij pater dicitur, quamdiù homicidio & mendacio polllues tuam ſcientiam. Ad populum phaleras mi Theodore: nos te intus & in cute nouimus. Exclamas Balduinum non intelligere prima elementa Chriſtianiſmi, nempe veſtri. Sic enim chriſtianiſmum, vocare videris noua myſteria tuæ coniurationis, ſacramentique militaris. Sed

 vobis-

vobiscum tandiu versatus, qui posset illa ignorare, quę nunc tã multi sciunt? Quòd ad Christianismum verum attinet, magis eius leges & regulas intelligit, quã velles. Sed quantulumcunq; est, quod intelligit, satis profectò est, vt ne principia quidẽ religiõis Christianę satis reipsa vos colere, curaréue intelligat: tantũ abest, vt esse te, quod videri diciq́ue vis, credat. Neq; dissimile nunc est iudicium de te nostrũ, & eo quidẽ seuerius, quòd statuamus reformationis singulare quoddam exemplum abs te requiri, qui alijs nũc esse vis norma & lex nouę vitę: ne cum in tuam formam alios intẽtis oculis, intueri vis, ijs putes satisfacere, si solam cutẽ fucaueris. Dura itaq; est conditio personę, quam induisti, si eam tueri etiam velis: Nã cum in alios morose inquiris, illi in te multò magis. Ecce, vt sunt multi nimium curiosi atq; molesti, principio cauillant, Præfecto morũ, regeneratoq; Censori, pręsertim Lemannico, parum conuenire, quam hinc istuc abduxisti contubernalem, singularis tuę continentię testem. Nam & quia cum Iurisconsultis, quos tam miserè odisti, interdum colloquuntur, dubitant, num legitimum esse posit coniugium cũ ea,

quam

quam prius per adulterium, quod glorioso prográmate publicasti, (vt loquuntur) maculaueris. Audiunt quod ais, Episcopum, vt olim Flaminem, vnius vxoris virum omnino esse debere. Sed audiunt etiam esse debere irreprehensibilem, καὶ ἀνέγκλητον. An autem hæc tua consuetudo, etiámnum reprehédi posſit, dubitant. Nó laudamus tales inquisitores, qui omnia ad viuum resecant, vel in scirpo nodum quærunt. Sed tu eos excitas, cum tui oblitus alios traducis. Nos tamen, ne tibi diutiùs molesti sint, illud, quod in te primũ accusant, vtcunque defendimus lege quadam, quæ ait. *Illas nõ relinqui, charitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium. Neque enim clericis incompetenter adiuncta sunt, quæ dignos sacerdotio viros sua conuersatione effecerunt.*

Ecce habes etiam iuriscõsultos, & amicos, & patronos: tametsi eius legis conditio etiámnum durior sit, quàm vellent, qui tuis delicijs fauẽt. Tu verò alia defensióe vteris. Nolui (inquis) illi Heliodoro similis esse, qui Chariclęá Christianismo ptulit. Pulchrè: tametsi nó intelligo, cur hic Christianismũ dicas pro Episcopatu,

cæterùm vt planè dissimilis sis illi Helio-
doro vellemus, in hoc genere Augustinũ
potiùs quàm Synesium imitatus esses. In-
telligis vir accuratissimè, quæ ab alijs in-
telligi necesse nõ est. Neq; tamẽ diuortiũ
tibi quisquam imperat, quia multi veren
tur, ne hoc genus missæ nimium tibi pla-
çeat, vt maiori cum offensiõe multorum,
vtaris nouo iure, quod nũc nobis dictas,
cum Antonium Caluinum, qui viuente
priore vxore, quam repudiauit, alterã du
xit, fortiter defendis, quia statuas satis su-
perq; esse, quod eius frater in sua institu-
tione, inter Papistica & Asinina (vt vocat)
decreta refert legẽ nescio quã, quę id pro
hibet: quia magnificus ille Dictator existi
mat nos indoctos nunquã legisse Augusti
ni libros ad Pollentiũ de adulterinis cõiu
gijs. Age verò, vt ad te redeas suauissime
Theodore, habes domi satis quod agas,
tãetsi alienas familias nõ exagitas: certè po
tius eos, qui te accusare possunt, placare de
beres, q̃ irritare. ipse Balduinus vix sui mu
sęi fenestrã aperire potest, quin etiã inui-
tus videat locũ, in quo adulter & leno ape
ruisti salacissimũ ludũ turpissimæ impu
dicitię, & vbi postea perduellis miles, hoc
est plusquam latro, castra metatus es. Quę
putas

putas de te in mentem veniunt, cum talis locus quotidie occurrit? Sed tu eos, qui tibi parcunt, etiamnum lancinas. Ille tamen & castis auribus & pudori audientium parcendum esse obstinatè iudicat, si per te aliquando liceat. Nã & si hisce diebus ea scripseris, quę significarent rectius eos facere, qui accusant adulteria & sacrilegia: Imò si taceant, Rempublicam exponere periculo iræ diuinæ: & allegaris exemplum vnius Achan sacrilegi, propter quem non delatum nec punitum, ira Dei in vniuersum Israëlem exarsit: hæc (inquam) quum multos mouere possint, vt tua scelera non dissimulent, tamen non est nostri pudoris euulgare omnes tuas nequitias. Itaque alios missos facias, quos protérue lacessis, non erimus hac in re tibi diutius molesti: neq; tam seueri erimus, quin Theageni scilicet Charicleam, sine qua viuere se non posse professus est, cùm nouo sacerdotio, facilè relinquamus: atque etiam canonicæ pœnitentiæ loco habeamus, quod aliquando suauiter subridens ab oculo sinistro lachrymulam fictam fortè elicueris, qua defleres & prioris vitæ & carnis infirmitatẽ, Nam etsi te dicas nondum fuisse Christianum, cum ita amares, tamẽ eo ipso tempo-

re versibus expreßisti Dauidis de adulterio confitentis pœnitentiam, cuius aliquando formula vsurus scilicet esses. Cæterùm, vt nullam des suspicionem veterùm reliquiarum in aliquo animi tui recessu residentium atque fumantium ebullientiúmue, vellemus profectò, pudicior etiam, quàm fit, nunc esset lingua stilúsve tuus, præsertim cùm non ignores vetus illud:

Nihil interest, quibus membris cynædus fias.

Atqui cum in Balduinum, qui ista vetera arcanæ turpitudinis tuæ mysteria non intelligit, detonas, nescio quomodo & tui oblitus & prioris nequitiæ tuæ memor, sæpius Cynædos (ne quid turpius, quod adijcis, dicam) in ore habes, quam conditioni nunc tuæ conueniat: nisi si qui tonando vis videri Iuppiter ἐρίγδουπος (vt in Heshusium ais) sic etiam loquendo Ganymedæus simul dici velis. Quid multa? Quia non nisi Ciceronicolas amas amabo, patere, vt istud Ciceronis tibi reuocem in memoriam. Næ tu iam mecum in gratiam redeas, si scias, quã me pudeat nequitiæ tuæ, cuius teipsum nõ pudet. Patere æquo animo, vt ex eadem oratione audias quoque istud: Iam stupra & flagitia omittam. Sunt

quæ-

quædam, qnæ honestè non possum dicere: tu autem eo liberior, quòd ea admisisti, quæ à verecundo aduersario audire non posses. Quid igitur? Nos quidem certè adeo nullam in te maculam reliquam esse vellemus, quæ tuam personam dedecorat, & minuit auctoritatem, & fidem detrahit opinionemque tuæ regenerationis: vt & illam labem, quam tua (vt aiunt) nimium tibi assentata Venus honoris causa, tuo corpori inussit, deleri, si fieri posset, vehementer optaremus.

Sunt quædam vitia, tanquam næui, in quibus obseruandis notandisque minus seueri homines sunt. Sed illud, quod in te nunc reprehẽditur, tale est, vt occurrat statim atq; tu cum ista tua noua persona laruaq; Censoria prodis in publicum, & aliis risum, alijs stomachũ moues, quantúmuis multa simules, vt nõ modo crimine, sed & suspiciõe criminis carere te probes. Adeo te premit prӕteritæ vitæ, quæ naturæ tuæ testis asідua est recordatio. Itaque ipse pudor, si quis modo in te reliquus est, (sed quis reliquus esse posset in Cynico Pseudolo?) inclusum te domi, aut in aliqua latebra abditum (nisi fortè Lutetiæ malis includi monasterio filiarum, vt vocãtur, pœnitenti-

nitentum, earumque fieri abbas) contine-re deberet, potiusquam cum isto propudio proiecta audacia te extrudat in aliquã Censoriam scænam seueræ in alios animaduersionis, præsertim vbi notus es & theatrum circumstant alumni, alumnæue veteris tuæ disciplinæ. Nam extra Galliam, vbi eris ignotus, fortasse minus laborabis, vt etiam habearis pro Archigallo Cybeles: vtque facessant illi molesti intercessores, qui quia fortè legerunt in ethnica Græcorum Repub. hanc legem *Ex meretrice natus ne concionetur:* putant in Ecclesia ferendã hanc esse *Ex meretricis gremio egressus ne concionetur:* & somniant alioqui euenturum tibi esse, quod cicero narrat euenisse, cùm P. Clodius de sacris Romæ concionaretur. Cæterùm ô noster Hierophanta (nam Sycophantam, quo verbo alios ornas dicere non audeo, ne quis putet te non solùm ficus edere, sed etiam ficos alere) alia præscriptio est, quæ tibi obstat, ne leges feras nouas de religione, néue Ecclesiæ sacrarium ingrediaris, vt alios excludas & excommunices: dico crimen sacrilegij, cuius iam tum, cùm hinc propter Doletanæ religionis suspicionem, & vitæ impudicæ infamiam, & æris alieni molestiã fugeres,

reus

reus fueris propter eam, quàm scis, sacrilegam nundinationem beneficiorum (vt vocantur) quæ tam nullo iure possidebas, quàm mala fide vendidisti: ne non cum Chariclæa ex Aegypto aliquid asportares prædæ sacræ. Putarunt aliqui factum id quoque esse religiosè, vt cum istuc venisses, manumitteres sacrorum causa, quemadmodum Veteres loquebantur. Sed non conuenit vetus formula: *puri, probi, profani, sui auri*. Intelligis mysteria harum Antiquitatum. Itaque aliam tibi defensionem pares necesse est. Nam & crimẽ auxisti, quod litigiosi monasterij mancipem, à quo repræsentata tibi futurorum annorum merces erat, indignè fefellisti, cum postridiè alteri illud venderes: neque tamen minus circumuenisti emptorem, cum venderes quod tuum non erat, quodque etiam paulo pòst fuit euictum. Quot (putas) propterea legibus iudicijsq́; etiamnũ obnoxius es? Fortasse negabis te Simoniæ (vt vocant) reum esse, quia magister tuus in Actis Apost. negat ita vocari debere. Sed voces, vt velis: si quod abstulisti, sacrilegium non est: nos, vt superstitiosi sumus, saltem nescimus, quo iure id feceris: & scire vellemus, ecquam istic statim absolutionem impetraris

petraris. Nam quod nunc narras laudan-
dos nihilominus esse eos, quorum nume-
ro haberi vis, qui hinc istinc fugientes ami
serint spem, quam habebant, impetrando-
rum huiusmodi beneficiorum: saltem non
erit legitima purgatio, si eam animo spem
retinuerint. Vide igitur, ne iterum iterú-
que pœnitens, cùm tu nuper reuersus es
cum tanto satellitio equitum beneficiario
rum, dicaris id fecisse nouo iure postlimi-
nij, vt quod amiseras, magno cum fœnore
& multorum annorum reliquis recupera-
res. Imò verò ais, istic puniri sacrilegos.
Credo, si istic sacrilegium fiat. Sed quod
alibi factum est, nescio quo iure nunc istic
inuenit suum sacrarium. Testem si requi-
ris, non alium quàm te citabo, si quæ fiũt,
potiùs quàm quæ dicantur obseruari ve-
lis. Ignosce religiose Præsul hominibus su
perstitiosis. Non capiunt statim tuæ defen
sionis mysteria. Excusas direptionem Ec-
clesiasticorum anathematum, quia multæ
inclusæ fuerint reliquiæ falsæ & adulteri-
næ: quod tu etiam antequã inspiceres, ex
inuentario, quòd istic non temerè iampri-
dem editum est fortasse sciebas. Sed thecas
ipsas, neque auri falsi, neque gemmarum
adulterinarum fuisse suspicor: sed neque
iure

Iure accesionis fuisse commissas existi-mo: tametsi nostra vel Balduini priuatim non intersit, quid de ijs statueris: & cùm libripendem tibi adfuisse narres, nihil prę terea inquirimus. Illud modo vereor, ne cum multi Verrinas de signis, quas fraterculus tuus & commilito tibi dicauit, relegent, tu multis in mentem statim venias: aut quia duos tantum Brennos olim Gallia protulerit, tu tertius fuisse dicaris: tametsi obtendas defensionem, quam olim Dionysius Siculus: nisi malis illam poëticam.

Dicite Pontifices in templo quid facit aurum.

O te beatum, quem neque exempla, neque versus vnquam deficiunt, si quis te vrgeat. Sed de alijs spolijs, quorũ reus es, ecquid dicis? Ne quid in eo genere abs te & ijs quibus pręeras, factum fuisse dicatur sine sacris literis & exẽplo bono, en istinc nunc allatus libellus est, qui defendens factum, allegat sic ab Iudęis discessuris spoliatos fuisse Aegyptios. Pulchrè. Sic enim & superioribus annis Anabaptistę Monasterienses respõderunt, cum interrogarentur, quo iure vrbẽ Episcopalem diripuissent. Sed tui fortasse cautiores sunt, prudentisime Theodore. Nam eadem illa

eorum

eorum defensio, quasi diffideret exemplo ex sacris literis repetito, profert præterea quandam Constitutionem ciuilem, quæ significat aurum Barbaris & eripiendum & surripiendum esse. Pape, quanti est sapere. Et legum professoribus nunc etiam num infensus esse potest, quorum beneficio consequeris, vt vtroque iure defendaris? Cæterùm superest scrupulus vnus, quem non tam facilè eximas: & in quo tamen eximēdo laborare debes, priusquam aliud suscipias. Dissimulo alia crimina, quæ te iugulant. De perduellione capitalem litem alij (vellem) toties non mouerent ex lege horrendi carminis. Sed cum toties alios, qui tibi dissimiles sunt, crepas esse apostatas, transfugas proditores: videris velle iustam recriminationem tandem audire. Saltem enim cum Anglis portum Galliæ vendidisti atque prodidisti, & patriæ tuæ & Regi tuo iniuriam fecisti. Quod si tibi licuisse putas, quia te Burgundum inscribis, tanto magis ipsis emptoribus nunc teneris de euictione. Sed hæc, si vis, nunc dissimulentur: & ad Balduini commentarium, de Legibus Maiestatis siue perduellionis reijciātur, quibus etiam, cum quidem in ijs multa sint, quæ te non

leuiter

leuiter pungant vehementerque premant, non dubitamus aliquando responsuram esse tuam generositatem. Interea tamen vereor, ne non tam facilè deleas eluasque sanguineas maculas; quibus consperfus esse diceris, cùm tot cædibus te inquinaueris. Imò verò propterea triumphas, & alterum te esse gloriaris Iehu, qui sacerdotes Baal mactauerit, & veluti sanctum ducem Leuitarum, qui multa millia idololatrarum trucidarit. Nam & quod Moses præcepit, vt ij de more expiarent cruentas suas manus; tu interpretaris, earum potius consecrationem fuisse in illa cæde; Deus bone, ecquò recidimus. Ipse Moses iussit suos milites, qui iussu ipsius etiam Dei occiderant Madianitas, aliquot diebus extra castra manere & expiari. Et quicunque vel mortuū cadauer tetigerat, expiandus erat. Noster verò noui fœderis præco; sanctum se esse iactat, cum est sanguinarius. Quid? An illud etiam Epistolæ ad Hebræos occinet; *Omnia propemodum sanguine purgantur secundum legem?* Atqui saltem meminisset, humanum sanguinem exceptum fuisse. Quid te moneo clementissime Theodore? Exclamas etiam te multos sacerdotes & monachos tua pecunia liberasse, atque redemp-

tos præsenti neci eripuisse. Quis iam non exclamet factum denuò te esse abbatem, & quidem, quàm antea, meliorem, ô liberalis redemptor, protector, seruatorq; monachorum? Itaque ais prodituros, si oportuerit: nempe, vt iam non nexi serui, sed pileati liberti triumphalem sui liberatoris currum sequantur. Sed aut ego valde fallor, aut metuunt, ne imiteris, quòd Romani triumphantes statuebant de suis captiuis aut eorum saltem ducibus: & quamuis passim cruces cum crucifixis deieceris, crucem reformidant. Atqui tu nuper edixisti, ne Iudices, Romano more, crucis vtantur supplicio: quia scilicet tam eam figuram veneraris, quàm Constantinus, qui hoc antea edixerat: vel quia tu furca fortasse, quã cruce dignior es. Audio. Trepidãt tamẽ etiãmnum tui redempti: & meminerunt non procul abfuisse te, cum in quodã templo tui carnifices, ad christi crucifixi imaginem infamandam atque funestandã, in eadẽ cruce hinc & illinc sacerdotes strãgulatos suspenderunt. Et miraris si tibi tam fideli domino nondum fidant illi abs te empti, quos, vt victimas immolares, adseruabas. Sed age: para tibi aliam defensionem sanguinariæ tuæ sanctitatis. Nã

etiã

etsi fatuos & effœminatos & superstitiosos esse iudices veteres Christianos, qui iudicabant sibi per suam religionem non licere spectare ludos gladiatorios: tamen cū ex candidato factus es purpuratus miles cruore ciuili rubens & madens, quem sitiens hauseras, cum insultares aceruis cadauerum: quàm putas, purus sanctusque ex castris & prælio ad Ecclesiam (vt vocas) tuam es reuersus, vt nunc, manibus non illotis, sed cruentis, sacra tractes & stylo sanguinario alios etiámnum persequaris? Credo legisse te aliquando canonem Nicenum, qui mirabilem pœnitentiam & exomologesim requirit ab ijs, qui abs militia ad Ecclesiam redeunt. An exclamabis Papisticos esse canones, quibus iampridem solutus sis? Imò verò potius oppone poëticam exceptionem:

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Dices, nulla tibi opus esse aut defensione, aut purgatione, aut abolitione, quia ais posse nos, ex multis, qui interfuerunt, audire, quid in militari concione præmonueris paulò antè: illud funestissimū, quòd etiámnū deploramus, prælium. At quod illi nobis narrāt, nihil aliud probāt, quàm te in illo fuisse, quòd Muncerum concio-

 natorem

natorem in Germanico tumultu rusticorum fuisse narrat Sleidanus: nisi aliquem Theudam, de quo Lucas, malis: vt cum in Actis Apostolorum irrisurus venerabilem venerandi magistri tui inscitiam καὶ ἀνιστορησίαν, annotaris duos fuisse Theudas, nunc tertium adscribas, hoc est, teipsum. Næ tu mirabilis es artifex subtilissimæ imposturæ, qui tam suauiter efficis, vt neque astutissimi, quos irrides, neque fortissimi, quos iugulas, sentiát se aut irrideri, aut iugulari. Nullum (credo) extat in vlla historia exemplum simile. Sed si superioribus exemplis, aliquod adijciendum sit, adijces item, Cretensem illum impostorem, qui tẽporibus Theodosij, simulauit se esse Mosen cœlo delapsum, & cum fictis vaticinijs væsanam multitudinem coëgisset, eam ad littus adduxit, pollicitusque fore, vt aqua cederet, iussit insilire in mare, multisque mox pereuntibus, clàm se subduxit. Nihil scilicet tale nuper fecisti, cùm vbi clasicũ, post concionem, insonuisses, & pistolica tela euibrasses, non modo stetisti post principia, sed & alijs fortiter cadentibus, velociter effugisti: certè tam fatuus non fuisti, vt sequereris tuum collegam, qui, vt seruatur, capi voluit. Triumphas nihilominus

nus te procul ex edito colle ſpectatorem fuiſſe funeſtiſsimi conflictus : & fortaſſe expertus es , quòd Sulla olim dicebat, cùm audiret gemitus ciuium, qui trucidabantur. Seneca non modo inſanum , ſed & inſanabilem fuiſſe iudicat quendam Voleſum, qui temporibus Augusti, cum trecentos vna die, ſecuri percuſſiſſet, exultans exclamauit, ô rem regiam. Quid de te Christiani dicemus , qui cum tot millia fortiſsimorum ciuium , atque adeo florem Gallicæ Nobilitatis , in acie indignè occumbere vidiſti (ne quid grauius dicam) non exhorruiſti? Legeras quidem quòd Minucius (nam eum in gratiam Balduini tui legiſſe te ais) loquens de veteribus Chriſtianis, Nobis (inquit) homicidium nec videre fas eſt, nec audire: quodque Athenagoras adijcit, ne ijs quidem licuiſſe ſpectatores eſſe publici alicuius ſupplicij & criminalis animaduerſionis. Sed tu cum illa fatua & ſuperſtitioſa (vt vocas) Antiquitate nihil commune habere te gloriaris. Imò verò, quia prælium illud in campis Druydum commiſſum fuit, veterum Gallorum antiquo more mactari victimas humanas fortaſſe non noluiſti, præſertim cum talibus hoſtijs tã

delecteris, quàm sacrificium ἀναίματον odi-
sti. Sed iam saltem ijs parcere tuus stylus
deberet, qui nunquam arma induerunt,
nusquam castra viderunt, & in ciuili tu-
multu videntes potius quos fugerent, quã
quos sequerentur, secesserunt, ne vel vide-
rent vel audirent, quæ diutius aut videre
aut audire sine acerbissimo dolore non po-
terant. In eorum verò numero fuisse Bal-
duinum cum non ignores, & omnes sciãt,
quid illi ascribis quod tuum est? Eius etiã
domum in tumultu tanquam aram & asy-
lum patuisse protegendis & corporibus &
bonis quorundam, qui tui esse dicuntur,
non nescis: & si negas, testes tibi opponam
familiares tuos, qui etiámnum agnoscunt,
quod debent, collegam (inquam) concio-
natorem, & ipsum Wechelum, quem com-
militonem tuum fuisse narras. Et tu, homo
ingrate, nihilominus finges te eius benefi-
cij esse oblitum? imò verò cum narres col-
legam illum tuum etiam vitam suam debe-
re Balduino, exclamabis tuos esse tracta-
tos, vt tu tuos aduersarios tractasti? Et
quid tandem magis ridiculum est, quàm
homuncionem togatum, inermem, infir-
mum, ab sanguine abhorrentem, & qui ne
quidem aciem districti ferri inspicere au-
deret:

deret: denique hominem (si nos Apostolicè loqui mauis) ἄμαχον μὴ πλήκτην, fingere imitatorem esse armati & militaris tui furoris? An tam stupidam & cæcam & obliuiosam Galliam esse putas, vt non intelligas, omnibus videri, te de te locutum esse, cùm tragicè describis quendam ridentem vidisse cædes tota vrbe fieri, ædes fortunasque omnes à furente multitudine diripi, honestissimos viros, spectatissimas matronas per vrbem media luce lacerari, sepultorum cadauera effodi, quósuis crudelissimè excarnificatos in fluuium præcipitari: non virginibus, non prægnantibus, non ipsis puerulis ab vberibus matrum pendentibus parci. Tum verò istum ipsis saxis ad hæc horrenda spectacula colliquescentibus, non modo securum omnia spectare, sed vnum etiam esse ex ijs, qui carnifices in cœlum efferrent, &cæt. Agnoscis tuis verbis expressam tuæ insaniæ picturam vesane declamator. addis & hæc: Quid Galliam commemorem innocentium hominum promiscuis cædibus redundantem? quid vxores in virorum, virgines in matrum sinu & constupratas & iugulatas? quid infantes ab vberibus matrum ad cædem tractos? quid prægnãtes mulieres viuas inci-

ſas? quid honeſtiſsimos viros crudeliſsi-
mè interfectos? quid cadauera ipſa rapta-
ta, laniata, canibus obiecta, in flumen præ-
cipitata? quid iufinita alia inauditæ imma-
nitatis exempla? quid denique (quod me-
mini fuiſſe quauis crudelitate acerbius)
tot conuicia in CHRISTVM ipſum
contumelioſiſsimè iactata? Hæc tu de tuis
ſcilicet actis. Neque tamen adhuc omnia
commemoraſti. Nam multa cautè præte-
ris, quæ tamen ipſa etiámnum ex ſuis ſe-
pulchris eruta martyrum & principum oſ-
ſa, & aliorum inſepultorum iacentia eti-
ámnum cadauera, & templorum euerſo-
rum parietinæ (licet homines taceant) cla-
mant, futura ad omnem poſteritatem mo-
numenta incredibilis tui furoris. Nam &
accidit, quod olim, cùm Perſæ incêdiſſent
templa Aſiæ Græciæque, Iones prohibue-
runt ea inſtaurari, vt ipſæ ruinæ poſteris eſ-
ſent teſtimonia atque monumenta Barba-
ricæ impietatis. Ergò, ô noſter Attila, ô
noſter alaſtor dux horrendæ vaſtitatis, pri
uſquam de religione tam ferociter concio
neris, vide, ecquam Deo hominibuſque ra
tionem reddes armatæ tuæ militiæ & im-
manium actorum. Fatui profectò & ni-
mium ſimplices illi ante biennium erant,
qui

qui te ministerij noui reum, & de extraordinaria vocatione nescio quid fingentem atque balbutientem, non modo rogarunt, aliquo vt eam vocationem signo extraordinario comprobares (quod olim Luterus ab illo tui ordinis Muncero postulabat) sed etiam callidè respődentem, id te breui facturum esse, minimè intellexerunt. Nos quid tunc cogitares, etsi antea fortè non essemus suspicati, nunc dubitare non possumus. Sed si quod in cœlis Numé esse credis, scito te semper Deo, vt hominibus, impunè illudere nő posse. Tu quidem iam, fortasse per ludibrium, Balduino & nobis concionaris de conscientia eiusque vi. Sed illa, illa tibi carnifex erit, teque vt Cainum in sua fuga trementem & trepidantem noctésque diesque torquebit: neque, si iudicum manus effugeris, effugies Dei iudicium. Atque vt te tuis verbis constringamus, en audi, quod in alios abs te dictum, in te retorquendű est: Quære latebras, transfuga, quascunq; poteris, vel etiam quamcunque vel natura tibi suppeditauit, vel à tua cohorte nancisci impudentiam & audaciam poteris; opponito tuű illud facinus, cuius in tuo pectore insculptæ certæ & indelebiles nő

tæ in tuo isto vultu eminent, quantumuis ad omnem turpitudinem comparato, tacentibus etiam nobis, latere te diutius nõ sinent, & in lucem pertractum ne respirare quidem patientur, donec infelix corã Deo & hominibus sententiã in teipsum feras. Idque tanto magis, quia te fugientem insequitur terribilis vltio atrocissimi & inexpiabilis parricidij postremi, quod sicarius Poltronus tuus abs te subornatus perpetrauit. Scis quid ille de te vltro sit confessus: quæ confessio ita te perculit, vt attonitus trepidansque repentè ex Gallia tota fugeris. Sed nullum est asylum, quod te tegere possit. Ipsi etiam, ipsi versus tui te insequẽtur & excitabũt: *Tene quietem Ducere, quem ad pœnam poscunt pro immanibus ausis Tartara? geminoque nocentem Crimine, cœlorum fas est conuexa tueri. Qui Diuos, qui te, patriamque tuosque scelestus Prodideris?* Reliqua non ascribo. Tenes enim: quia tua sunt.

Vtinam verò, quã tali admonitione commotum ad pœnitentiam fuisse Dauidem narras, tu te ad eam cõmoueres. Sed quid? Audebis potius eũ tuis monitoribus opponere, qui hisce diebus istinc allatus ad nos est, libellum, omnium, qui istinc vnquam

quam prodierunt flagitiosissimum libellorum, qui defendit Poltronum illum tuum, omnium, qui vnquam fuerunt, nefariorum sicariorum sceleratissimum: pietatisque titulo etiam ornare vult, & talé parricidium & telum impij latronis, qui inuictissimum principem proditoriè con fodit. Denique tale monstrum perfidiosi insidiatoris gloriosè cum Mose & Dauide, (ô blasphemiam antea inauditam) comparat, quia ille AEgyptium, hic Goliath occiderit. Denique amplissimis in Gallia iudicibus, qui talem Assasinum iustissimo supplicio affici voluerunt, dira minitatur. En quo recidimus? ille quidem carnifex hoc fortasse fecit ingenuè & fideliter, quod te & subornatorem & auctorem suum nominarit. Sed an propterea sanctissime Theodore, inter sanctos martyres nunc referendus erat? Nempe quo iure Caracallus sicam, si qua fratrem trucidarat, in templo consecrauit, vos vestri Poltroni pistolicum telum inter Apostolicas reliquias religiosè referetis. Legisti quínam sint & dicantur apud Paulum ἀπηλγηκότες, καὶ εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. Summus profectò is gradus est deploratæ

impiæ,

impietatis atque vitiositatis. Sed quo non euaditis? Longius etiam procedit proiecta & impudens audacia. Nam non modo laudat te immane factum illius parricidæ, sed & ad consequentiã trahi vult, & tali exemplo contendit fas esse fidem fallere, heris suis insidiari, & quoque eos modo tollere: neque solum sacris literis propterea abutitur, sed & ex iure ciuili repetit, dolum aduersus hostes bonũ esse. Denique inter stratagemata atque perfidiã (quod nulli vnquam Barbari latrones fecerant) clamitat nihil interesse, corrumpere seruum, subornare percussorem, & pacta mercede ad scelus impellere, facinus est mali & periculosi exempli. Sed opinione religionis illud confirmare, quale scelus est? Assasinos olim proposita spe vitæ æternæ & beatæ ad latrocinia & cædis eruditos incitatosque fuisse in Tartaria accepimus. Sed anni plusquam trecenti sunt, ex quo tempore, vt illorum in illa Barbaria asylum euersum fuit, sic & detestabilis eorum memoria eodem tempore in Lugdunensi Concilio damnata est, & reliquiæ seuerissimè profligatę. Et nunc in Gallia renascentur cum religionis reformatæ professione? En (iterum dicam)

quò

quò recidimus? I nunc, & cũ talibus zelotis de religione agito. Audieram, superiori seculo in Bohemia, cum Zisca reformationem, qualem hodie Gallia videt, institueret, hoc est, religionis nomine, vi & armis regnum illud euastaret, non defuisse concionatórem, qui olæum adderet camino. Quendam enim Ioannem Taborensen tum edidisse librum terribilem, cuius inscriptio erat, *De occisione omnium malolorum in mundo*. Sed iam funestiorem concionem audimus; quæ & insidiatricem & domesticam proditionem, si mactandi sint, qui aduersarij esse dicantur, prolixè commendat. Deus bone, quænam hæc religio est? Quænam mortificatio, comes religionis? Quænam, quę à sanguine dicitur, sanctitas? Et tu alter in Gallia Brugande, alter ex Bohemia Zisca; nos pro tuo imperio coges assentiri tali Catechesi, etiamsi cum ea coniungas aliquam pietatis simulationem? Túne, furiosissime apostata, clamitabis esse Apostatas; qui abs tali factione deficiunt? Imò verò, clama quantum voles, & nunc clamitando, vt olim scortando, rumpe etiam lacus: nos tibi confirmamus apostasiam talem, tam esse viris bonis necessariam, quàm ijs curæ

esse debet Christiana religio: quam quidem religionem cum vos cum vestris actis tam coniunctam esse dicitis, vt qui hæc fugerit, illam deseruisse dicatur: næ vos & Christo & religioni magnam iniuriam facitis. Renouas quæstionem de Apostatis, quam in alios abs te velles auertere. Sed mihi crede, vel si te ruperis, nihil agis, quamdiu in eo reatu hæres. Dictum tibi est, quid Optatus & Augustinus responderint Donatistis clamitantibus: *Totus mūdus apostatauit*. Illos ipsos Donatistas fuisse schismaticos apostatas, ne tu quidē (credo) auderes negare. Sed an multo melior sit causa vestra videris. Ego quadā in re minus audaces esse vos fateor: sed multis rursus in rebus multo & audaciores & deteriores. Donec autē probaueris, cur illis dānatis, vos absoluēdi sitis, & Augustino satisfeceris, nihil est cur inani recriminatione vexes eos, qui & ab illis, & à vobis, vbi vbi similes eritis, deficiunt. Vis propius aliquis te premat, vrgeat, lancinet? Quid si neget aliquis vel legitimum esse tē ministrum Ecclesiæ: vel verum esse ministerium, quod vsurpa-? Quid si profanum & adulterinum esse affirmet? & quòd in Possiaco conuentu audiisti, iterū audias? Quavocā-

vocatione, qua manuum impositione, qua successione te defendes? Dices esse ministerium tuum extraordinarium? Sed quo testimonio, quo signo, quo miraculo id probas? Ergo quo auctore, quo iure, quo more quo exẽplo, vel tibi arrogabis, quòd occupasti, vel altare contra altare (quod iam fecisti) erigis? vt veteres Christiani loquebantur, cùm id esse nefas pronunciarunt. Vis vt te potius Ciceronianè aliquis alloquatur? Dicet, Tu teipsum adoptasti, vt Lucanius parens scilicet tuus seipsum. Ergo vicio creati, abdicent. quid igitur alios importunè lacessis? Occule te totum, miser, in tua latebra. Si caput, si manum, si pedem exeris, perijsti. In limine acer aduersarius adest, instat, imminet. Ecquò, vt effugias, te vertes? Sed neque cum tua laruata recoctaq; apostasia proficies quicquam; si Antistitum peccata, quæ neque Balduinus præstare potest, neque minus, quàm tu, accusat, neq; quisquam nostrum defendit, tragicè exagitaueris. Fatemur quicquid in suos sacerdotes Prophetæ fulminando dixerunt, dici in nostros posse & debere. Sed lõgius vt progrediaris, quã prophetæ; non patimur. Neque si longius excurrentem, non sequimur, aut etiam aberrantem

defẽ

deſerimus,propterea vllo iure nos dices approbare alterius partis flagitia: vt neq; eum,qui Bezanus non ſit, propterea eſſe Papanum: aut qui Papanus non ſit,propterea eſſe Bezanum probabis: cùm neque tu,cum Luteranus non ſis, Papanus dici,aut quia Papanus non ſis; Luteranus appellari fortaſſe velles: aut quia non es Guelphus, Gibellinus libenter audires. Sed hęc partium factionumque nomina, quantum voles, te oblectent. Chriſtiani ab ijs & alieni ſunt & abhorrent:&; ſi fortè imprudentes aliquando nomen ijs dederint,miſsionem petent, vt ſoli Chriſto adhęreant,& quod in vtrisque partibus, vel rectè fit,ſequi & laudare, vel fit perperam,reprehendere & fugere liberè poſſint.Scilicet magna cauſa eſt,cur horribilem in tali tamque Chriſtiana continentia apoſtaſiam fingas ἐπιληπτικώτατε Theodore.Sed agis tuo more: & quòd de te dici poteſt,de alio dicis, aſtuto ſcilicet iure prǫoccupationis. Itaque & vt tuus Hotomannus,Ecebolium crepas, niſi quod ex Socrate hiſtoriam repetis, quàm ille ex Euſebio ſtolidè dixerat eſſe repetendam. Sed prius fingere debebas Iulianum Apoſtatam in Gallia regnare, & valde quæ-

ſtuoſum;

ſtuoſum, tutum, glorioſum, aulicum eſſe, facere quod nunc Balduinus facit, hoc eſt, fugere regnantem tuam factionem. Adijcere denique debueras Ecebolium illum aliquando audijſſe aliquam Miſſam, cum ſine hac vix agnoſcas apoſtaſiam: & poteras id eodem iure affingere, quo Balduino quiduis aſcribis. Neq; minùs propterea in Ecebolio iſto tuo Bezam depictum agnoſceremus. Ergo gloriam illius Ecebolicæ verſutiæ propriam habeto: quæ tibi fortaſſe tanto erit gratior, quòd nunc meritus ſis, vt Homericè quoq; dicaris ἑκήβολος ἀπόλλων, propter peritiam & praxin & excellentiam theologiæ tuæ piſtolicę. Scilicet olim miſer, pauper, deſertus, incautus eras, cum in tuo Benedicto Paſſauantio ſcribebas, *Nos pugnamus ſolo gladio, id eſt, verbo Dei.* Nunc iſtud tuum, id eſt, ô noſter gladiator, ſecurè & glorioſe expũgere potes. Et miraris, ſi Balduinus iam tecum pugnare aut congredi non audeat? Dices te ſaltē & verbo & gladio nunc pugnare. Sed ſi de religione agis, talis coniunctio minimè eſt religioſa. Et qd indignius eſſet, quàm Chriſtianiſmum propagari more Machometano? Tu, quænam ratio ſit tua, armate Concionator, videris. Balduino, qui Euangellum

gelium alia vi propagandum esse putat, nō probari tua arma, quid miraris? Porrò de ea, quam, semper in ore habes; neque minus, credo, in pectore, apostasia, quid præterea vis, tibi respōdeat? Et quid tandem tecū religiose tractari posset, qui cùm ab eo nuper audijsses non esse apostasiam à Christo, si quis vobis nuncium remittat κ̀ τὸ ἀποστάσιον, statim veteris tuæ nequitiæ memoriam refricans, insusurrasti nescio quid Cynedicum de sexus discrimine cōfundēdo, & viris pro vxoribus habēdis? O nefariam obscœnitatē linguæ Cynicæ atque Cynędę. O scelus, ô flagitium nequitiæ Bezanæ. Tale profectò tantúmque nefas, quod neque pudicę aures ferent, neque casti oculi legent, nō potuit nunc venire in mentē nisi homini, in prostibulis Sodomiticis volutato, & talium fœditatum cōstuprata incestaque memoria etiámnum sese oblectanti: in buccā verò nunc id illi venire, qui potuisset, nisi cuius os spurcum etiámnum redolet, ructat, & spirat, quod olim turpiter imbibit. I nūc & cū talibus de Euāgelio agito. Non est certè opus alio indicio, vt quale sit ingeniū, qualis religio istius incesti hypocritę, ex omni genere impuritatis cōcreti

atque

atq; conflati, omnes intelligant. Et tu infelix Gallia nondum intelligis, qualem siue Cupidinem, siue Ganymedem adores, cũ huic talium libidinum ministro doctorique laruato meres? Cæterùm hîc ego te per tuam siue Angelicam virginitatẽ, siue candidatam theologiam obtestor salacissime poëta, vt talia tua Ityphallica mysteria, quæ olim euulgatis versibus decantasti, non nisi tuis sodalibus ipso etiam vsu edoctis nota esse memineris: ignota verò & inaudita Balduino & alijs ingenuis hominibus, tam castè, honesteque educatis, vt eorum aures, oculi, cogitationes, nullò modo possint audire aut intueri quicquam tuæ tã pudẽdæ obscœnitatis: & quorum ipsa etiã pudenda (si ita loqui fas est) castiora profectò sunt, quàm sit os tuũ. Tantum abest, vt alios ex tuo ingenio æstimare debeas, aut quã in illa tua Sardanapalica palestra gloriam meruisti, ad alios rudes, indignos, abhorrentes deriuare. Itaque & illud putidè ridiculeq; facis, quod eum in quo exagitando te exerces, ais nũc demum didicisse saltare. Nescio, an aliquis ex tuis exoletis tibicinib⁹ hoc tibi narrauit, vt eũ hac saltem ratione fieri Bezanum tibi confirmaret, Sed mihi crede, qui fidelior sum

testis, hac rursus in re tibi planè dissimilis est Balduinus, neque nûc minus, quàm olim alienus est ab illa tua suaui molliq́ue disciplina: certè quàm semper fuit, tam est hodie quoque ἀμοῦσος. Talem poëticæ impudicitię ludum cum hic aperires, & in eo regnares, vt ibi essent choreæ, (vt dicuntur in poësi) irritamenta Veneris languentis, non inuidit ille tibi tales, quas nunquã gustauit, delicias: ac ne nunc quidem tibi obstabit, si in tuo fornice clàm (quia palam fortasse non audes) cùm sua siue Thaide, siue Laide saltitare tripudiando velis, Fescemmine poëta, qui iampridem etiã saltasti ῥίκνωμα, καὶ κνισμὸν, fœditates tibi soli notas. Sed ne earum rudimenta alijs aspergas, qui abs te nunquam initiati fuere. Fortasse ne non scitus Theologus etiámnum videreris, suggerente tuo Ciceronicola, iudicasti obijciendum esse Balduino, quod Cicero narrat obiectum fuisse Deiotaro. Sed nónne mox sensisti fore, vt tibi responderetur, quod Cicero tali calumniatori respondet: Quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij adferre? Reliqua tenes: Itaque habeto & illa pro responso. Imò verò, vt semel audias ad ea, quæ hactenus iactasti, spurca tua côuicia, responsionẽ

te di-

te dignam: audi quod Orator ille homini tibi simillimo respondisse fingitur, & patere nos eius proœmio nunc ad te vti;

Ea demum magna voluptas est, Theodore Beza, æqualem ac parem verbis vitam agere, neque quicquã tã obscænum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat, & omnis oratio moribus consonet. Neque enim qui ita vixit, vt tu: aliter, ac tu, loqui potest: neque qui tam illoto sermone vtitur, vitã honestior est. Reliqua veteris illius declamationis, quæ tenes; & tibi nunc obijci posse non ignoras, habeto pro responso: simul & in ea ipsa oratione obseruato verbum, quòd tã acutè notasti in Balduini libello. Cùm is fortasse eò vsus, Latine dixisset, *vt breue faciam*, pro, *vt breuiter dicam*, miro artificio ex eo verbulo elicuisti bellum, lepidum, facetum, salsumque scomma, alij licet nimis frigidum, ieiunum, putidum, ineptum esse putent. Quid enim? Statim somnians veterem tuam praxin beneficiariam, propterea exclamas Balduinum iam didicisse apud Cardinales nouum stylum Romanæ curiæ, in qua *Breue* nescio quid significat. Quid lepidius dici potuit? Itaque triumphas, cum propè iam tuo exem-

plo factum esse Protonotarium. Sed iterũ iterumque erras festiuissime Theodore. Ille, vt est rudis & stupidus, ne nunc quidẽ quicquam talium rerum intelligit, neque vt intelligeret, vnquam operã dedit, nunquam tuis illis quõdam sacris mysterijsq; initiatus, nunquam ex suo iure ciuili tam sapiens, vt tuam illam artẽ ditescendi, quã olim cõsiderasti, addisceret. Itaq; nõ min⁹ ridiculũ est, quod toties deblateras, illum tã familiarẽ esse Cardinalibus: vt nihil magis te torqueat, quã hoc somniũ: quod esse hominis phrenetici, nisi si subtilius mẽtiri discas, oẽs sani dicẽt. Maneat hæc tibi propria laus & gloria illibata, ꝙ olim purpuratos patres candidatus propè abbas diu assectatus sis nõ sine felici aucupio beneficiorũ, & inde ditatus, habueris quod te oblectaret: & multis post annis, cũ in Galliã, reformationis ergò redijsti, Cardinalitia domo, mensa, sponda vsus sis: & nunc ne ingratus videare, illorum obliuisci nõ potes, nõ tam quod ijs inuideas, quàm quod ad dignitatẽ talẽ, mutato tamẽ galero, fortè aspires. Quidni? Tuos quoq; olim Donatistas in Africa suos habuisse Cardinales, testis est Augustinus. Sed fortasis hoc nomen odisti, quia & Cardinalem Veteres appel-

appellabant Clericum suæ Ecclesiæ astri-ctum,& tanquam glebæ ascriptum, qui aliò abire non posset. Tu verò minimè vis, ita (vt loquebantur) cardinari: qui potiùs vis & esse vagus ardelio, & interea videri Apostolus Oecumenicus, vt liberè huc & illuc discurras: nō vt ignominiosè pulsus Lausana, Geneuę hæreas, sed vt modo auli cus reformator, modo, Parisiensium Mini strorum magister, modo castrensis cōcio-nator, modo Galliæ Patriarcha, modo Le-mannicus Mercurius, modo Dux Equitū, modo tubicen, modo aliud, quod dicen-dum non est, fias: & interea colludas cum omnibus, qui tibi vsui sunt, qualescunquę tandem ij sint, vel si sint, quòd dicere no-lo. Liceat tamen & hoc tibi nouo iure pri-uilegioque dispēsationis, quo vobis licet, quicquid est vtile. Itaque quàm scias vti foro & aula, & quibus & quàm turpiter atque religiosè, vbi est commodum, assen-teris, quærendum non est. Sed profectò nimis liberaliter summum tui honoris ti-tulum tibi detraxisti, vt alium indignum ornares. cùm Balduinum appellasti πολυ-πράγμονα. Maneat hæc quoque propria ti bi laus, quæ magno tuo labore parta, me-ritoque imprimis tuo tibi delata est. Quid

porrò conuicijs tuis respōdere possumus, cùm effundendo farraginem inflammatæ maledicentiç, ita confusam, vt duobus modis Satyra dici posśit, simul præripueris verba omnia, quibus tibi respondendum sit, & mirificas propterea tricas nobis obieceris? Singulis paginis Balduinum furēs criminaris: te Caluinumq́ue impudēs laudas. Sic vos regeneratisśimi Rhetores, quod de vobis dicendum esset, de illo dicitis: quodq́ue de illo esset dicendū, priores dicitis de vobis ipsis. O admirabile artificium hominum propè diuinorum, cui nihl est quod obijciatur. credo, quia legeras quòd Eustathio medico scripsit Basilius de suis aduersarijs calumniatoribus, vbi eos comparauit cum lupo, quem Aesopus narrat dente ouiculas vicisse, quas ratione non potuerat, & eos modo vnū, modo alterum crimen variè confuseq́ue fingere, & vbi omnia fingendo nihl proficiunt, odio tamen insatiabili pugnare narrat, tu eos imitari atque etiam superare voluisti. Interea non minus scitus es artifex, cùm de te loqueris. Quid enim? Principiū hoc tuum est: *Postquam tandem singulari Dei beneficio ex longa peregrinatione domum, id est, ex patria vltro in exilium sum reuersus, &c.*

Sed

Sed nimis sæpe aberras optimè interpres, cùm adijcis tuũ istud, *id est*. Hic enim potius ascribere debebas, *id est, posteaquam in Gallia patriáue perpetraui, quæ animus meminisse horret, rursus fugi Geneuam*. Tum verò succinemus poëticè carmẽ aliquod ἀποβατήριον antiquo more, nisi fortè malis ἐπιβατήριον. Ac, si fortè tibi non satisfacit illa exclamatio Ciceronis in Antonium, *At quàm nobilis tua illa peregrinatio?* exclamabimus, O admirabilem & propè miraculosam peregrinationem, præsertim religionis ergo. Cogitabas in e[illegible] fortasse Peregrinum illum Luciani, familiarem tuum. Sed tibi melius cauisti, qui alios, quàm teipsum, præcipitare maluisti. Obsecro verò, religiose Peregrine, qui non templorum modo aut reliquiarum, sed maioris rei causa, mirabilis hospes in patria fuisti, ecquid putas alios iudicare de istis tuis Herculeis laboribus? An vlli vnquam Gothi, Scythæ, Hunni, Vandali, Saraceni minus religiose in Gallia peregrinati sunt? Sed ne quid effutiamus, in epilogo nobis opponis nescio quàm legẽ ἀμνηστείας. Cautè profectò. Vtinam verò tot malorum obliuisci possemus. Cæterùm, ô bone, silentium potiusquam obliuionem nobis imperare potes, vbi tam lu-

gubria monumenta tuorum actorum, quæ etiam inuitis in oculos incurrunt, discedens reliquisti. Cæterùm vt historia integra sit, adijcienda est prior illa tua peregrinatio, cum ad excitandam Ambosianam coniurationem tumultumque illum ciendum, per Galliam, mutata veste, cum tuo Hotmanno discurristi. O incredibilem & profectò nimiam bonæ Galliȩ patientiam. Sed hæc in aliud tempus, aliumque locum reijciantur. Nondum enim pateris Theodore nos aut in limine declamationis tuæ consistere, aut in illis obseruandis, notandis, recitandis immorari. Quid igitur? Multas statim paginas occupas, vt describas Balduini vitam: cuius (quem nunquam es allocutus, vt neque ille te vnquam) tam & intimus & assiduus scilicet Secretarius fueris, quàm nunc fidelis præco vis videri. Nempe otiosi Poëtæ, cùm vigilantes somniãt, sic se solẽt oblectare, indulgendo suis fictionibus, & fabulis, & spectris, & prosopopœijs. Sed illa nimis poëtica prosopopœia est, qua Balduinum fingis propè resgnare, modo in Germania, modo in Gallia, modo in Flandria, modo in Concilio Tridentino: vbique esse, vbique audiri, nunquam agnosci, semper euadere, omnia tra-

ctare

ctare & miscere: quem tamen paulò pòst hominem nihil esse ais. Mirum verò, tibi tam occupato tantum esse otij, vt etiam tam procul obseruare posis omnia eius vestigia. Pedem ille mouere non potest, quin statim rescifcas. Consilia etiam, quæ nondum cœpit, præuides. Tam vigilantem (credo) cautionem in castris didicisti. Fieri vix potest, vt tam confusæ, quàm est tua, Satyræ, aliquo ordine respondeatur. Sed quia peregrinationis tuæ mentionem fecisti, & quandā Balduini peregrinationem obiter notasti, hinc exordium nouum repetamus. Nam & in ea paulò diligentius exponenda, vt tibi satisfiat, pluribus fortasse verbis opus erit: neq; est quicquam quòd in tuam gratiā faciamus lubētius. Nihil (quòd non dissimulas) magis te torquet, quàm quòd Balduinus te per Galliā Germaniamq; discurrente, superarit Alpes Tridentinas, & (vt ais) in eo itinere Cardinaliū fuit assecla. Bono animo esto Theodore. Ille, cum, ne diutiùs spectator esset tuarum tragœdiarum, non recusauit & in Italiam & Tridētum proficisci, Regis Nauarri Legatus fuit: quo Principe abs tuis paulò pòst confosso, cum acerbum vulnus accepisset, neque hybernis præruptorum

itinerum,

itinerum, neque Alpinarum niuium vllis difficultatibus retardari potuit, quin domum statim properaret, si fortè seruare attonitam familiam suam posset, cui in suburbijs inclusæ, abs tuis cohortibus non temerè metuebat, cùm tu ad vrbem obsidendam eas euocasses, vt quã pestis paulo antè afflixerat, tu hanc Metropolim, ô ingrate alumne, euerteres, vel vt Nero suam Romam, incenderes, sæpius etiam tyrannicis verbis precatus, (vt citius totam cõficeres) *vtinam populosa Lutetia vnam ceruicem haberet.* Equidem in toto illo, difficili certè & longo itinere, perpetuus assiduusque Balduini comes fui, vt tibi itinerarium, quod vis, etiam describere possim: & vero cupiam, quia, vt video, multa de eo & falsa & inepta tibi alius narrauit: & vitæ nostræ scrupulosa etiam reddenda tibi ratio sit. Illud autem in primis scito, non paulo meliorem & nobiliorem, quàm tua fuerit interea, fuisse peregrinationem illam nostram, neque tamen sine tui memoria sæpius renouata, neque sine vario metu, multisque periculis fuisse. Tu interea dum hac narratione te recreabimus, arrectis auribus asta.

Superiori anno, Nonis Octob. Lutetia Parisiorum, non sine magno mœrore, tandem

dem egreſsi, venimus in vrbem Trecaſsiũ, paulò antè abs tuis fruſtra tentatam, ſed etiámnum trepidãtem: vbi Lupi illius egregij Antiſtitis, qui Attilam excęcatum circumagendo olim auertit, vt vrbem ſeruaret, ſucceſſorem aliquem ciues requirebãt. Altero inde quatriduo per medias tuorum inſidias penetrauimus Diuiodunum, tuæ Burgundiæ metropolim, ſad minimè adhuc tui iuris. Ibi primum vidimus Cardinalem illum, cuius purpura mirificè te torquet. cùm autem progrediendum eſſet, nõ nihil attoniti ſubſtitimus, cùm audiremus Cabilonenſem Epiſcopum, qui nos ſequebatur, abs tuis interceptum, ſpoliatum, abductum. Perreximus tamen Cabilonem vſque, vrbem paulò ante à vobis direptã, atque deformatam. vbi primum in Templo vidimus lituras & lineamenta veſtræ reformationis, & audiuimus paulò antè cum illic regnaretis, veſtrorum fratrum Synodum coijſſe, in qua, cum alia præclarè multa fuerant decreta, tum Canon neſcio quis informatus de exterminando Nobilitatis ordine, poſteaquam ciusarmis exterminati Sacerdotes eſſent. ibi ſanè nobis occurrit, & Balduinum amiciſsimè complexus eſt doctiſsimus ille Epiſcopus, acerrimi iudi-

mi iudicij vir, quem nescio cur mutatum Episcopum vocas. Nam quòd illi adulatus es, vt ambiendo præriperes quòd iam olim Balduino fuerat oblatum: nihil egisti. Nam cui cũ tua mutatione nocere putasti, valde profuisti, neque adhuc Balduinus obstat, quin illud obtrudas, negocium affectanti Hotmanno tuo iampridem ocioso, eamque offam obijcias famelico, quia alioqui tecum cantare recusat. Quid autem illic nobis narrarit ille, cui & nos credere experto debuimus, & vos nunc fidem derogare nõ auderetis, Episcopus, de vestris carceribus, imperio mero, consistorio vestro, & de reliqua audacia, ex alijs aliàs audies. Nobis certè vrbem illam vobis ereptam, Regique restitutam spectantibus venit in mentem, sapientissimum fuisse vestrum consilium, cùm illam occuparetis, quam olim Iulius Cæsar parãdo commeatui delegerat, cum Galliam subigeret. Quo propius ad vestrum Iuram, traiecto Arari, accedebamus, tanto magis cùm metu periculum crescebat. Ac quidem Dux Allobrogum, amicus ille vester, de quo tã præclarè estis meriti, suis præsidijs tectos nos bono animo esse iubebat. Sed cùm procul è quodam monte timidè prospiciebamus

mus fumũ Lugdunensis arcis tunc vestræ, olim Irenæi domicilij, quàm multa putas, nobis in mentem venere, & de vobis, & de antiquissimæ vrbis fortuna. Exclamauit quidam ex nostris Comitibus illud vetus, *O domus Anci, Quàm nunc dispari domino dominaris?* Cumque plura vellat addere, expalluit, *vt Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.* Metuebantur enim excursores. Nos vrbi bene precati, optauimus, vt si sui oblita iam aliquot seculis amisisset partam, retentamque tot ante annis veterẽ gloriam religionis, eam aliquando cum reformatione recuperaret: dico eam, quam, cũ propè Diuiodunum cunas Bernardi spectaremus, in quadam eius epistola relegeramus. Inter Ecclesias Galliæ (inquit) constat profectò Lugdunensem anteire, sicut dignitate sedis, sic honestis studijs & laudabilibus institutis. Vbi enim æquè viguit disciplinæ censura? morum grauitas? maturitas cõsiliorum? auctoritatis pondus? antiquitatis insigne? præsertim in officiis Ecclesiasticis haud facilè vnquam visa est repentinis nouitatibus acquiescere, nec se aliquando iuuenili passa est decolorari leuitate. Hæc ille. Quæ cũ tibi tam diligenter recitamus, fortasse ociosos esse nos putabis. Minimè profes-

profectò sumus Theodore, sed paulo iam sumus tranquilliori animo, quàm cũ Rhodanus vester tunc traijciendus nobis esset, non procul ab altera vestra metropoli. Nã plerique somniabant in illo vestro lacu esse tetrum carcerem, & in eodem comitatu erant Theologi Parisienses, valde etiam senes, qui cum nobiscum per auios montes profunda iam nocte perreptarent, propè inciderant in Scyllam, cùm vellent euitare Charibdim: *Ignaríque viæ Cyclopum allabimur oris*, vnus exclamat. Credo equidem vel tu misertus fuisses miserorum, si eos tã miserè iactatos & perculsos vidisses. Iam quidem scribis, eum, qui istic tecũ regnat, pastorem celebrem, ineptè dici Polyphemum, cùm exiguus homuncio sit. Sed ô bone, reformidabantur *Ætnæi fratres capita alta ferentes* & quos emittere ille posset, quidam cogitabant. *An nescis longas Regibus esse manus?* Patere doctissime poëta, nos iam præteritorum malorum iucunda recordatione recreatos tecum ludere poëticis flosculis. Cùm ventum est Cameriacum, non modo occurrerunt decrepiti illi Carthusiani Grationopolitanis suis, Mãdris, vestro beneficio, liberati pulsíque sed & clarissimus Iurisconsultus Gouea-

nus,

nus, non multò humanius abs tua factione tunc vexatus: cuius profectò si Iurisprudentiam, contemnis, at musam cur cohorrescere debeas, nō nescis. Quid multis deinde diebus in medijs Alpibus egerimus, si quæras: fatigari alsimus. Sed ne quidem cùm superato monte Sina, Susas veniremus, extra iactum telorum vestrorum esse nos etiámnum attoniti audiebamus. Non faciam illam Galliæ nostræ iniuriam, vt exclamem,

Iuuat euasisse tot vrbes
Argolicas, mediosque viam tenuisse per hostes.

Sed verè tamen dicere possum, nos demum respirare cepisse, cum superatis Alpibus, Taurinum appulimus: & domesticorum malorum propè oblitos, de rebus Ecclesiasticis, quarum memoriam peregrinatio ipsa in re præsenti suggerebat, cepisse animo magis sedato inquirere. Nō narrabo tibi res alias, quæ minus fortasse te oblectarēt. Taurini inquisiuimus de scriptis illius Maximi, qui ante annos centum supra mille, illic magni nominis antistes fuit. Sed ignotus is erat præsidiarijs militibus. Quia autē eum memineramus descripsisse vitam Eusebij Vercellensis: cùm Vercellas ingresi sumus, tanto magis quæstio fuit

 de illo

de illo tã celebri Eusebio, cuius imprimis laudata fuit in Mediolanensi quadam Sy-nodo Arriana, singularis constantia recusantis subscribere iniquis iudicibus Athanasij. Cùm eius historiæ recordatione venimus paulò post Mediolanum, vbi Ambrosij sedem & Basilicam & propè vestigia recognoscentes, ingressi sumus in amplissimam rerum Ambrosianarum historiam, sed non sine nostrorum temporũ detestatione, quæ si aliquot Ambrosios protulissent, næ tu cum tuis tanto supercilio cristas nõ attolleres. Fuit de Ambrosio sermo donec Brixiã peruenimus, vbi ad Philastrium Brixiensem, Ambrosij auditorem, cuius egregium volumẽ de hæresibus oblatum nobis fuit, conuersus est. Incidimus & in veteres libros Gaudentij Brixiẽsis ad Beneuolum Ambrosio amicissimũ. Eos nondum vidisti. Vbi legeris, non minus in ijs, quàm in Philastrij commentario de hæresibus, senties esse multa, quę te pungant. Non dico, quantum vel Mediolani Gubernator, vel Brixiæ, Senatus Venetus, profusę humanitatis erga nos Comitatũq; nostrum ostẽderit. Nam ea, vt profana, respues barbaro fastidio. Itaque etiã tibi non narrabo, quid Veronę viderimus: quia Ro

manas

manas antiquitates, quarum ibi nobilissimæ reliquiæ sunt, odio Vrbis, nunc contemnis. Sed non dissimulabo, cùm Amphitheatrum spectaremus, quędam ex nostris, domesticorum malorum memorem ingemiscendo exclamasse. Hic olim ludi gladiatorij, nunc in Francia eduntur: & cum antiqua inscriptio legeretur *Generoso Retiario inuicto pugnarum xxvij. &c.* nescio quomodo quibusdam in mentem venit rete tuum, non illud Apostolicum, sed gladiatorium, cuius præsidio ex concionatore factus eras lanista. Adeò in nostrorum comitum ore frequens, tametsi absens eras. Quid, cum ventum est Patauium? Narrabo tantum, quòd tu homo elegans lubenter audies. Nescio qui factum sit, vt cum ibi primum cùm literato viro colloqueremur de libris (vt fit) Ciceronis, atq; adeo de Philippicis, inciderimus in locum, qui dicebatur corruptus, sic autem restituendum esse audiebamus: *cùm tua quid interest, nulla auspicia sunt, &c.* vbi Cicero M. Antonium in alienis rebus, scilicet religiosum esse, in suis non esse, significat. An putas habitum esse hunc sermonem sine memoria tui tuorumque? Nihil magis desiderassemus quàm in ea Academia hibernare, cùm in vrbis porta le-

gissemus esse asylum literarum. Nam magnum fuisset lenimē nostrorum dolorum, illic in studijs literarum & legum acquiescere, interea dum tu in Gallia, cælum terræ miscebas. Sed mādata, quæ susceperat Balduinus, coēgerūt eum Venetias proficisci. Quid ibi egerimus vt es mirificè curiosus, fortasse etiam quæres. Nihil est quòd te offendere valde posit, hære, nisi si fortè succenseas, nos illic vidisse simul & audijsse (curiositatis ergo) prolixam Græcorum liturgiam: missam, cùm te alloquimur, dicere non audemus. Vt autem seria, quæ scire nō debes, prætereamus: concionantem in foro quendam (vt vocant) Charlatanum, nisi si Ceretanum malis, cum ex nostris comitibus quidam audiuisset, nescio quid in Gallia, cùm te sub dio declamantem audiret, simile vidisse se (vt erat homo rerū imperitus) narrabat. Ignosce simplicitati hominum imperitorum. Venetijs Romā (noli, obsecro, cohorrescere) proficisci instituteramus: quàm si inuisissemus, multa nūc tibi narraremus. Sed negociorum tempestates nos ab eo itinere reuocarunt. Ergo (ô alterum nūcium, qui te perculit) diuertimus Tridentum. Cur, priusquam nos audias, vestes disrumpis? Diceret alius, quòd

Iusti.

Iuſtinus ex Trogo narrat, veteres Gallos, cùm inteſtinæ diſcordiæ & domeſticarum diſſenſionum tædio in Italiam veniſſent, Mediolanum, Brixiam, Veronam, Tridentum condidiſſe: proptereaque mirum non eſſe, ſi nos eodem rerum ſtatu inuiſeremus Maiorum noſtrorum ſedes. Sed ſuſpicaris aliud neſcio quid, quod te torquet, quia concilium illic conuenit. Atqui optima mandata Balduinum eo deducebant, ſi nõ obſtitiſſes, hoc eſt, ſi cæde mandantis finita non eſſent. Vt te inanibus ſuſpicionibus, quæ te vexant, liberem, dicam ſimpliciter quòd non neſcire tua intereſt. Cùm Tridentum ingreſſuri, in porta ſcriptum legeremus votum *Concordiæ inſtauratoribus*, ſimiles in eodẽ limine, in quo ſubſtitimus, preces fudimus non ſine gemitu atque ſuſpirio. Vrbem Ingreſsi, priuſquam Gallos, qui plurimi illic erant, ſalutaremus, neſcio quomodo relegimus libros Vigilii Tridẽtini olim epiſcopi, & imprimis obſeruauimus quod ſcripſit libro quarto & quinto contra Eutyochen. Vidimus deinde quid illic ageretur, & doctiſsimos profectò viros multos de Eccleſia & religione ſolicitos conuenimus: de te etiam ſciſcitantes, ecquando illuc venires. Nam alibi occu-

patum esse nesciebãt. Si dicam minus nos illic tunc effecisse, quàm tu interea in tua armata Synodo (ληστρικὴν propè dixi) fortasse non mentiar. Sed hoc illud est quod triumphas, nondum satis exauditos esse piorum hominum religiosos gemitus, vt etiámnum habeas quòd reprehendas. Quã nolles, illuc Iurisconsultus aliquis Nectarius cum aliquo Theodosio iret, curaturus facturusq́;, quod illi olim in Constantinopolitano Concilio. Sed ne multa nũc à nobis, quæ tibi de Tridento narrantur, expectes. Fecisti enim per tuos interea pistolicos, vt cõfosso Nauarro, Balduinus statim reuocatus in Galliam properarit. Itaq; valde te fefellit, qui te irridens tibi persuasit quod narrares de longiori eius mora Tridentina, & nescio quo (vt ais) vento. Nos alium illic non sensimus, nisi Boream, qui facilius nobis calamum, quam tibi hastam excussit. Certè reditus noster propter multa, quæ de tuis in Gallia furoribus interea narrabantur, tam tristis tota via fuit, vt dolore non minus quam frigore, quod tunc erat acerrimum, nos propè in niuibus sepultos nõ obtorpuisse atque diriguisse mirari debeas. Nunquam profectò magis intelleximus, quale fuerit supplicium illorũ

quadra-

quadraginta martyrum, de quibus ſcribit Baſilius: vt te noſtrorum laborum etiam miſereat. Iam decem diebus in tali arena luctati eramus, cum peruenimus ad glacialem lacum Vezam, quem propter tui nominis malum omen non temere exhorruimus. Traiecimus tamen. Nobiſcum erat Legatus Heluetiorum, & nos iam inde abs Tridentino comitabatur. Narrabat autem de altero vicino & propè tartareo lacu Lucernano: in quem ſi qui ſciens vel lapillum inijciat, horrendas tempeſtates cum terribili fremitu, mugituq; ſtatim cieri: ſi quid caſu incidat, nihil eum commoueri, narrabat. Sed & in vicinis ſuo pago, quem vocabat Abbatis cellam, alpibus eſſe ſpecũ non diſsimilem illi Dalmatico, in quẽ deiecto leui pondere, quãuis tranquillo die, protinus procellã turbini ſimilem emicare ſcribit Plinius. Quorſum hæc? inquies, Te neſcio quid habere ſimile cum illo lacu atque ſpecu aiunt. Nam ſi quis vel verbulo vno te attingat, eos fargores, tamque terrificos turbines & procellas cies ediſque, vt tota vicinia cohorreſcat. Age, progrediamur. Tandem ſingulari Dei beneficio tecti atque incolumes venimus Tigurũ, vbi Bullingerum minimè inuenimus qualem

ex tuo ingenio tu describis barbarum & inhospitalem. Nam tametsi sese humanissimè excusarit, Gualtherum suum, qui nobis esset conuiua, misit. Illic cùm multas audiremus querimonias de tua insania, Euangelij causam apud omnes bonos vehementer affligente atque infamãte, tum verò nescio quis subiecit, te ibi aliquãdo cõuictũ falsi καὶ παραπρεσβείας, ignominiose cecinisse palinodiã sacramentariã: sed iam longè aliam esse tuam modo in Gallia, modo in Heluetia, modo in Germania παραπρεσβείαν. Cupiebamus ea de re referre ad Petrum Martyrem, quẽ cùm in Galliam primum redires, ducẽ habueras. Cùm eum iam sepultum esse intelligeremus, conuenimus eius socium, senem illum octogenarium, cuius integritatem non potuit nõ aliquando laudare vester Commentarius de scandalis. Tum verò cum noua, & horrenda vestra scandala ex literis Lutetia allatis recitarentur, bonus ille senex cum lachrymis detestatus est vestram immanẽ rabiem, & nouos Antichristos esse exclamauit, qui tam indignè abuterentur Christi & Euangelij nomine: vixque in Apocalypsi inueniri descriptionem tetrioris monstri: mirari tamen nos non debere, si, vt vetus

tus habet prouerbium, mali corui malum ouũ ſit. Cùm ille porrò pluribus, nos verbis cõſolatus eſſet, properauimus Baſileã: vbi rurſus triſtiores de te tuisque polypragmonicis diſcurſationibus (nã & illac paulò antè tranſieras) querimonias audiuimus, Oporinũ ſalutauimus: cuius & Balduini querelæ communes fuerunt de iniuria cuiuſdã diuitis, qui in tuo ſinu eſt, Oporinũ exugentis. Balduinũ mille ducentis aureis, nimiũ bona fide creditis, etiámnum fraudãtis, quia iſtic locum nõ habeat lex *Si caluitur*, & tu iure nouo nouas tabulas debitorib' malę fidei in iſto aſylo vendas. Quòd obiter dictũ eſto, quia tuo more, hoc eſt, improbiſsimè ſimul & impudentiſsimè alium accuſes, qui Oporinum ſcilicet fœnoribus oppreſſerit. Fœnorum vix mentioné (credo) feciſſes, niſi ſi abs altero veſtro argentario & chorago hanc artẽ cum aliorum magno malo damnoq; didiciſſes. Sed ſint hæ ſanè rationes veſtræ æquiſsimæ, quę in alijs eſſent iniquiſsimę. Cæterùm cùm Baſileæ & alios viros optimos, & peſsimũ illum Sebaſtianum tuum, quẽ tu deperis, nosq; antea nunquã vituperamus, obiter conueniſſemus: Deus bone, quę nã recitata ſunt teſtimonia Beza-

næ audaciæ simul & vesaniæ. Ac Sebastianus quidē ille, quem iampridem confixū confecisse atque iugulasse te putabas, non de tuo æquitatu, quem reformidabat, sed de singulari æquitate tua, quàm admirabatur, nescio quid narrabat, cùm te diceret miris artibus efficere, vt illi, quem impotentissimè lacessebas, nū liceret, aut respondere aut responsionē edere: proptereaque tuæ clementiæ gratias ageret, qua eū hoc labore liberabas. Sed non nihil mirari se dicebat tuorum ingenuitatem, qui cū subtilem effigiem Templi apud Ezechielem, in qua vna exprimenda primus potissimū elaborauerat, surripuissent, non modo in suis Biblijs, quibus eā inserebāt, nō laudarunt auctorē, cuius labore suas merces ornabant, sed etiam eum infinitis conuitijs onerarunt. Esse tamen hæc leuissima peccata Allobrogicę regenerationis. Verùm reformidare se magis ingratam tuam proteruiam. Editum recens tunc illic erat consilium quoddam ad Galliam pacandam. Eo vsurum esse te non dubitabat: sed nihilominus auctori malam gratiam (vt es ingratus) relaturum esse nō temere prædicebat, vt euentus ostēdit. Nam nisi illud consilium tandem placuisset, non viueres: & tamen

men(vt audio)tu nunc illud, cuius benefi cio etiam regnas, miris conuicijs proſcin-dis. Cęlium Secundum, alterum academiæ Baſilienſis doctorem, ſingularem rurſus amicum ſcilicet tuum, non potuimus con uenire, à quo plura de veſtris virtutibus audijſſemus: Sed neque bonũ Sulcerũ con cionatorem, iampridem minus, quã velle-tis, vobis addictum. Cur non potuerimus, dicam. In noſtro hoſpitio occurrit quidã gladiator tuę factionis: qui licet te tuumq; magiſtrum deteſtaretur, tamẽ quia vobis merebat, nobis dira minitabatur. Ergo vi-ſum eſt, ſtatim eſſe cedendum. Balduinus neſcio quomodo ſui & comitum oblitus, volebat rectà per lacũ veſtrum proficiſci, vt multa de vobis, quę neſcit, reſciret, & vt veteres amicos conueniret: (& quã mul ta nunc narrare potuiſſemus, ſi tutò licuiſ-ſet ſalutare veſtram hierapolim?) Sed au-diuit in ſomnis diuinam vocem *Heu fuge crudeles terras*. & horrenda quędam narra-bantur de noua inhoſpitalitate veſtri pon ti Euxini. Ergo diuertimus Montbelgar-dum vbi nouam Eccleſiam Gallicam, & prius & magis quàm ſit tua, (vt loquimi-ni) reformatam, tuo licet Patriarchę non pareat, vidimus, & eius primarium Mini-

ſtrum

ſtrum, ſenem magnæ grauitatis & mode-
ſtiæ rurſus audiuimus querenté de veſtris
ſtratagematibus ſanguinarijs magis quàm
ſanctis, & multa præterea narrantem de ve
ſtræ factionis indole, cuius iampridem in-
genium nouerat. Nihil autem nos magis
commouit, quàm quòd bonus ille ſenex
propè orbus cùm lachrymis exponebat,
vos nouo quodam plagio, filium veſtris ca
ſtris adiunxiſſe, inq; veſtras partes impru-
dẽtem pertraxiſſe, vt cum patris ſenectutẽ
ea ratione affligeretis, filij ſocietate inte-
rea abuteremini, & Gallis perſuaderetis in
rem veſtrã, nihil vos moliri ſine conſenſu
aliarũ nationũ. Sic enim & de Germania
ſoletis in Gallia loqui apud eos, quibus fa
cilè verba datis. Hæc cùm attoniti audire-
mus, vbique triſtia de vobis narrari dolui-
mus. Cùm autem in quodam veluti limite
Germaniæ Galliæque verſaremur, qui-
buſdam noſtris comitibus placuit, interea
dum Balduinus rectà in Galliã reuertere-
tur, per Germaniam redire, vt magis atq;
magis intelligerent, an eius de vobis iudi-
ciũ eſſet, quòd Italiæ, Rhetiæ, & Heluetię,
eſſe intellexerant. Nõ excurrerunt in Sue-
uiam, vt Brentium ea de re teſtificantẽ au
dirent: neque aut Auguſtam, aut Norem-
ber-

bergam, aut Vlmam, aut Danubianas ciuitates inuiſerunt: in quibus, tametſi Proteſtantibus, audiuiſſent horribiles aduerſus veſtram coniurationem anathematiſmos: ſed ſecũdo Rheno deſcẽdentes in illo longo limite Germaniæ ea de vobis audierunt, vt plura audire nollent. Quia paulò antè cùm cohortibus ex Germania in Galliam immigraras reformationis ergò: veſtigia etiámnum extabãt tuæ in patriam pietatis propè Furianæ. Sed quia maius illa ſupprimi, iam non notabuntur. Noſtris ſatis ſuperque fuit, te digreſſo cùm tali flore Equæſtris regenerationis, ſeſe & tutiores & liberiores eſſe. Ac imprimis quidem Argentoratum adierunt, & vbi iactare ſolebas fortiſsimum eſſe aſylum tuum, inuenerunt iuſtiſsimum tribunal, quod ne quidem lambere infelix reus auderes. Saltem illic iam tum audiebant fore, quod factũ eſt paulò poſt, vt peregrinorũ cœtus, qui iampridẽ in ea vrbe coaluerat, niſi ſi tuæ prædeſtinationi fatali tuóque ſacramento militari valediceret (quàm tu Apoſtaſiam eſſe interpretaris.) ſi minus eijcerẽ (quod graue fuiſſet) at certè ſeparatam, vt antea, Eccleſiam veſtræ informationis non haberet: ſicuti & paucis annis Francofordiæ

decretum fuerat. Noſtri clariſsimam hanc Vrbem ingreſsi, quid de te putas tuisque ſymmyſtis audierũt? Auditæ ſunt Germanorum illic concionatorum de veſtra ludificatione querelę, & graues ab ijs cauſę expoſitę ſunt, cur eam diutius perferre in ſinu ſuo non poſſent. Agebatur tunc cauſa Zanchi Theologi peregrini ſemiueſtri, qui niſi ſi veſtris quibuſdam dogmatibus pręſertim de prædeſtinatione, renũciaret, alias ſedes quærere iuſſus eſſet ex ſententia aliorum etiam Concionatorum, qui ex alijs vrbibus propterea conuenerant. Recitata tunc quoq; noſtris fuit cauſa tui Hotmanni, nempe propter quod facinus illic aliquando primum fuiſſet excommunicatus abs ſuo Gallo Concionatore Petro Alexandro, te quidem propter antiquã ſocietatem, ſubmurmurante, ſed aſſentiente tamen tuo, ſi minus parente, at certè auo Gulielmo Farello, ſępius illum iuriſperditum appellante. Addebant & complura eiuſdẽ generis, quę peruulgata erant per Ioannem Infantium, teſtem valde idoneum, & cuius non ſolùm opera, ſed & opibus, quandiu opus habuiſti, tam liberaliter es abuſus, vt fidẽ ei detrahere vix audeas. Altera cauſa fuit expoſita, cur tuus ille Hot-

man-

mannus(cuius causa non est abs te seiuncta,)vt antea Ecclesia, sic deinde & schola & suo Canonicatu pulsus esset: tandemq; quid in eo Sturmius ipse grauissimè accusaret, narratũ est. & perlecta Sturmiana aduersus eũ terribilis expostulatio:quę profecto non modo de illius flagitijs, sed & de vestræ coniurationis mysterijs narrabat nimis multa.Nostri cùm hęc audirent, attoniti obstupuerunt:ac, ne plura fortè audirent,Spiram proficiscuntur:audiuntque in vicinia esse Nicrinum quoddam oppidum in montibus abditum, in quod miris artibus atq; cuniculis immiseras tuos emissarios.Sed de ijs tam multa rursus narrabantur, vt ne vicesimam quidem eorum partem postea nostri nobis recitare potuerint. Sed fortasse quidam, qui illic agunt, historiam aliquando pertexent,& ipse,cũ volet & audebit,Bouquinus, idoneus testis erit:quẽ vos,quia vos fugiens, Gallus Germanis initio se dabat, tum crudeliter persecuti estis, vt nisi si subuenisset liberalis misericordia Balduini, qui miserũ aleret,vestra clementia hoĩem famę & frigore enectũ iugulasset.Atq; is tamen dicebatur paulò pòst mortuo Principe Otthone Henrico abs vobis corruptus obiecta spe

offæ

offæ nouæ, & vbi vobis turpiter seruire cœpit repentè, vestro iudicio, ex fætido hirco (sicuti paulò antè loquebamini, ad hominis nomen alludẽtes) factus catellus Meliteus, qui vobis esset in delicijs. Sed illa sunt leuissima vestræ παλιγγενεσίας καὶ μεταμορφώσεως miracula. Nostri cũ nullo modo abs recta via diuertere vellẽt, venerũt Vuormaciam Vangionum, in qua de vobis audita sunt acerbiora Concionatorem Germanorũ iudicia, sibi gratulantium, quod, toties licet rogati atque tẽtati, nunquam tuis sedẽ apud se concedi passi essent, ne tandẽ, quòd Francofordiæ factum dicebant, facere cogerẽtur. Nostri, vt quid istud tandem esset, magis intelligerẽt, constituerunt, traiecto Rheno Menoque, illas veterum Francorum sedes, nobili nũc emporio notas inuisere. Sed prius de conuentu Wormaciensi, qui anno M. D. LVII. conuenit, & in quo visus fortè fuisti, audierunt, quæ tibi minimè gloriosa sunt. Non lubet omnia narrare, quæ te nimis onerãt. Sed quia fingis te nõ intelligere, quòd Balduinus verecũdè scripserat te illic abs Melanthone audiisse, dicã apertius, sicuti inde nostri ad nos retulerunt. Non enim pateris nos omnia supprimere. Capto Galliæ

san-

ſanquintino,trepidáte regno, rege attoni
to,veniſti ad illum conuentum ſollicitatu
rus,qui Regem potentiſsimum terrere ſci
licet poſſent,ni faceret quòd volebas. Cũ
Melanthoni narrares indignum facinus:
captos Lutetiæ eſſe multos,qui nocturnos
conuentus religionis agebant: dicebat il-
le,tali tempore in ea Vrbe non temerè ſu-
ſpectos eſſe Regi,& vos debere vobis tẽpe
rare. Reſpondiſti, Nihil vos agere quod
nõ fecerint Apoſtoli. Tum ille, Ergo (in-
quit) ęquo animo patiamini,quod illi lu-
benter paſsi ſunt. Atqui ſcribis nihilomi-
nus impetraſſe te honorificum teſtimoni-
um à quibuſdã,qui illic cõuenerant, ſub-
ſcriptum etiam à Brentio, à Marpachio,à
Ioãne Andrea. Credo viros humaniſsimos
ad omnia humanitatis officia paratos fuiſ-
ſe. Sed quo ore nunc audes tres illos viros,
à quibus toties damnatum eſt dogma tuũ,
tuque toties cum tuis tentationibus repul
ſus,nunc nominare? Imò verò, qua fronte
illius conuentus Wormacienſis mentionẽ
facis,in quo illud ab omnibus ſubſignatũ
decretum aduerſus vos eſt, & his verbis
que Melanthon ipſe aſcripſit editum: *Dam
namus dogma Zuinglianum*. Adijciendum
nũc eſt,quod trib⁹ aut quatuor pòſt men-

ſibus accidit:vt noſtri Francofordiæ intel lexerunt. Coierunt Francofordiæ Impera toria Comitia. Eo cùm multis mandatis venerat nobilis vir Gaſpar de Hu, à Gallicis (vt vocas) Eccleſijs nouis miſſus, cum ſupplicibus etiam earum literis ad Balduinum ſcriptis, quas cum voles proferemus. Tu dolens ſine tuo conſilio vel auctoritate aliquid agi, relicta tua Geneua properas Francofordiam, neque vocatus, neque miſſus, neque vllum etiam adferens mandatum: & iratus ſtatim obturbas quod Caſpar ille ſatagebat. Meminiſti, te propterea in cubiculo ipſius Balduini propterea reum ab illo Caſpare grauiter accuſatum eſſe multarum fraudum, multiplicis πολυπραγμοσύνης, inuidiæ, ambitionis, nequitiæ multiplicis. Meminiſti, illum tibi prædixiſſe, fore vt ſtatim atque in Galliam redijſſet, te depingeret, ne bonos credulosque Gallos diutius ignotus falleres: ſe ſuo ſumptu eorum negocia curare: te miſerorum pecunia emuncta abuti ad ea perturbanda. Meminiſti, te non ſine comminatione reſpondiſſe, faceret quod vellet, te operam daturum, vt anteuerteres. Itaque multi exiſtimant, indicio tuo tuaque opera factum eſſe, vt Gaſpar ille

ille ſtatim atque reuerſus eſſet, necatus ſit. Hæc & eius generis plura noſtri comites de te Francofordiæ audiebant abs Gallis ipſis. Germanos verò vbi conueniebant, audiebant multò atrociora: & imprimis cur cum tu illic clam turbas excitares, duobus Gallis concionatoribus inter ſe commiſsis, quorum alterum, qui tibi in Gallia collega deinde fuit, miſerè vexabas, & abs tuis ſiue opinionibus, ſine ceremonijs neutrum ad Germanicas accedere patereris, cætus peregrinorum diſſolutus ſit. Noſtri reſponderunt ſeſe ea de re multa iam antea in Gallia cognouiſſe ex libello diſſenſionem illam delibante. Et nondum pudebit, te nobis imponere velle, quaſi conſentientes Germanos & ſubſcriptores haberes. Fortaſſe dices, te, etſi cũ Germaniҫ cócionatoribus minime conuenias, cum Equitibus tamen optimè conuenire. O prҫſidium patrociniumq́ue potens & magnum, & te dignum. Noſtri in illa ſua profectione nullos Equites conuenerunt, vt ſcirent quo modo cum illis tuis *συμμάχαις* tranſigas. Sed quod in Gallia iactare ſoles tot etiam habere te ſymmyſtas, illud verò non eſſe hominis ingenui & pudentis facilè intellexerũt: & intellexiſſent

multo magis, si diuertissent in Saxoniam: quam tamen abs tuo parẽte & præsule frustra tentatã fuisse satis superque audierũt. Quid Saxoniæ ministri sexcenti, cum ille vnum Hamburgensem oppugnans, eorũ iudicia temerè appellasset, responderint, vix quisquam ignorare potest, qui libros ea de re peruulgatos inspexerit. Mirabilis verò rei appellantis æquitas. Iudices illos prouocans demulcent blandis appellationibus. Vocat patres, fratres, symmystas, viros, honorandos & fidelissimos Christi seruos. Statim verò atque audit eos aliter pronunciasse, quam putabat: clamat esse asinos, nebulões, pecudes, Gigantes, Diabolos. Cum autem & tu coniunctis cum hoc patre tuo clamoribus, vt illum Hamburgensem intemperãtius proscidisti, sic & in eadem sacramentaria disputatione in alterum magni nominis minstrum, Magdeburgensem dico, scurrilius incurristi, vt per vtriusque latus, Germaniæ concionatores omnes, qui (vt loqueris) essent Luterani, confoderes, magis atque magis orbi terrarum exposuisti, quàm pulchrè tibi cum ijs conueniret. Cæterum illud verecundè fecisti, vt cum Magdeburgensis ille tuis asinis atque cyclopicis sarcopha-

gicis

gicisque(sic enim loqueris) conuicijs respondendo, qualis tu Angelus esses, indicasset, nescio quo pudore confusus obmutueris. Saxoniæ etiam Duces aliquando blandè appellare ausus est magister tuus cum munere bene polito. Quid responsi acceperit, si supprimas & dissimules, cautè facis. Sed eorum Edicta & Proscriptiones non patiuntur nos ignorare quid de vobis sentiant. Vt igitur Rhenus in Oceanum, Danubius in Pontum, sic Albis in mare Balticum, cum suo fluctu multas de vobis querelas vestrorum (vt videri vultis) sociorum voluitque vehitque, non vt aquis obrutæ sepeliantur, sed vt vocem longius mittant. Sed quia procul à Gallia eæ scilicet vagantur, vos illum fremitum securè contemnitis. Nostri, Saxonicas illas Baltici littoris ciuitates, & ipsam imprimis Magdeburgam, (Cuius ministros Caluinus paulò iracundius vexauit, quàm eius mœnia Cæsaris exercitus antea concusserat) magnopere inuisere cupiebant. Multa audiuerant antea de Ecclesiastica Magdenburgensium historia: quæ Geneuæ minime bona fide conuersa in linguam Gallicam esset non sine turpi crimine falsi, neque minus insi-

deliter, quàm commentarius Lutheri ad Galatas, in illa officina veritatis atque fidelitatis, factus antea Gallicus fuit. Sed maiores causæ suberant, cur cum Saxonibus illis nostri colloqui vellent. Nam & meminerant Caluinum, cum in eos detonaret, ita scripsisse: *Animaduerto in eorum scriptis verissimum esse quod mihi amicus quidam celebris doctrinæ & facundiæ scripsit, mirabiliter in illo maritimo tractu sapere quosdam homines, vt si hodie viuat Sybilla Cumana, ad eos mittenda sit, quò sagire disceret.* Sed quia satis superque ex eorum libris, ecquid de vobis iudicarent, intelligi potest, nostri longius non excurrerunt. Alioqui etiam in Danica, Gothica, Suecica Regna traiecissent. Quid enim? Idem Caluinus scripsit in ijs Spiritale Christi regnum altero vindice suffultum esse: in ijs esse sacrarium cælestis philosophiæ. Non enim probabile est, eum hæc scripsisse, vt ex illorum Regum argentifodinis aliquid emulgeret. Et tamen multa erant, cur multi crederent, eum neque ex animo neque serio ita locutum esse. Maior erat ratio, cur in Britanniam nostram nauigare vellent, vobis tam amicam, vt etiám nunc prædices serenissimam eius Reginã, cuius scilicet præsidio domueris Galliam

rebellan-

rebellantem. Sed aut valde fallimur, aut si illius ſerenitas nunc te conſtrictum teneret, curaret, pęnas vt turbarum dares, quas excitaſti, vtroque regno ex ſereniſsima tranquillitate in bellorum tumultus coniecto ac veluti commiſſo. Certè quam vobis cum Anglia bene conueniat in ceremonijs Eccleſiaſticis, dictum aliàs eſt. Vellemus nunc, ne dubitatio aliam ſuſpicionem gignat, alijs narrares, cur illinc nuper diſceſſerit Saulus tuus relicta ſua Eccleſia noua: & quo nihilominus iure, qua arte vos in illam inſulam plus iuris vobis arrogaſtis, (dico cognitionem tranſmarinarũ appellationum) quàm vlli vnquam in Europa patriarchæ conceſſum fuiſſe contenditis. De Scotia ſtatuere quoque pro veſtro arbitrio (vt audimus) voluiſtis immiſſo in eam Arano Comite & Cnoxo concionatore. Sed, ſereniſsima Scotiæ regina vos magis nouit, & in tumultu Amboſiano, quantum audeatis, non ſine ſuo & regis maritique ſui & ſuorum parentum periculo magis experta eſt, quàm vt illi os facile ſublinere deinceps poſsitis. Denique vtraque eius Inſulæ Regina, cũ iſtinc eò miſſus eſt ſeditioſiſsimus veſter libellus aduerſus Imperium regnumq; fœmina

rum, vix ignorare poteſt, quò tédatis prætextu religióis. Si eo noſtri traieciſſent, plura retuliſſent. Sed ſecundo Rheno deſcenderũt Coloniam, vbi cum alios quoſdam, doctiſsimos viros, tum verò Georgiũ Caſſandrum ſalutarunt, hominem propè ſenẽ morbis confectũ, & in lectulo decumbentem, ſed tam peritum rerum, atque antiquitatum Eccleſiaſticarum, tamque ſedatum religioſæ moderationis ſuaſorem, vt non temerè vos ab illo vobis metuatis. Dices magiſtrum tuum ſcripſiſſe, eum nihil niſi Lamiam eſſe in ſterquilinio ſedentem: Bona verba, mi homo. Tales Lamiæ ſunt, quæ vos terrefaciant. Neque verò veſtra immanis rabies non eſſet nota ſatis, ſi vel in hoc ſolo viro vexando tantum ſeſe effudiſſet. Nempe, quia Nero AElium Lamiam innocentem crudeliter occidit, vos Neronianũ veſtrum ſtylum nobilitare ſimili aliquo exemplo voluiſtis. Sed cogita, quid nocuit Lamiarum cæde madenti: vt vetus tibique familiaris poëta monet.

Tandem noſtri peruenerunt Antuerpiam, vbi vulgarem quãdam, & veſtra ſcilicet regeneratione dignam cauſam audierunt, cur non vnum Caſſandrum, ſed omnes

nes Belgas oderitis magis quàm vicinos ve-
ſtros Vulgas: & ſimul cognouerunt, qui-
bus tamen inſidijs atque artibus efficere
vultis, vt illi ſe veſtræ fidei credant, neque
ſuas modo animas, ſed & fortunas. Ergo
fidei ſcilicet tuæ confeſsionem etiam Flan
drica lingua conſcriptam: ergo Apoſtolos
veſtræ coniurationis, ad illam gentem ſub-
inde iſtinc emitti narrabant, neque non
quoſdam, quos infatuaſtis, lactare atque
ineſcare potuiſtis. Nam & ingenioſos nego
ciatores & ſubtiles æruſcatores eſſe vos a-
iunt. Sed non omnes illic eſſe Midas audie-
bamus. Soletis eorum ſimplicitatem irri-
dendo dicere, *Omnes eſſe Batauos*. Sed erra-
tis: acutius pleriq; vident, quàm vobis ex-
pediat. Illic ergo noſtri audierunt veſtræ
in multos eorum, ingratæ impietatis indi-
gna exempla. Ipſum, ipſum Eraſmum, pau-
lò antè quam iſtuc migrares, Beza, prædi-
cabas talem tantumque virum, vt fuit, fuiſ-
ſe, vt nec ipſa terra totum capere poſſet. De
nique nil fuiſſe, nec futurum doctius. Sta-
tim verò atq; iſtic initiatus es, paſsim cla-
mas fuiſſe illum impiũ & indoctũ: quia Ba-
tauus erat. Cæterum bene habet quod de
eo ipſo tibi reſpondeamus, imprudens o-
lim nobis dictaſti.

Latra, philane, quandiu & quantum voles:
Hunc scire constat plura, quàm tu nescias.

Vt non modo literatos de vobis literisque etiam prẹclarè olim meritos homines eius gentis, sed & Nobiles, quos istinc euocastis vt exugeretis viros, Mecœnates vestros, tandem indignè à vobis exceptos esse liquiret, allegabāt Dominum Falesium, Burgundici sanguinis principem: & quibus cum modis magister tuus lactasset, narrabant. Vestris principio scriptis dedicationibus celebratum fuisse, vt decus & præsidium Ecclesiæ vestræ. Tandem cum vobis obsequendo, & zonā perdidit & rē: sensit, sed sero, quàm boni & fideles fratres essetis. Quid verò tuus parens? Ne quidem eum domi suẹ decūbentem quiescere passus est. Imò verò etiam sepulto insultauit, & mortuo maledixit. Atque hæc non postremò causa est propter quam primū Balduino succensuistis, qui hæc tam indigna, cum videret Argētinẹ, laudare nō poterat. Quid verò non faceretis, cùm etiam Valerandum Pollanum, eiusdem gentis hominem doctum, industrium, Falesij domo, multò antea vestris insidijs, eiectum, tandem quamuis & Minister esset vestri ordinis, & multis annis, vestris cōmodis in Anglia

glia & Germania seruijsset, tamen incredibili vestra proditione atque nefanda collusione circunuentum ita vexastis, vt non prius quàm Francofordiæ mortuum esse audieritis, arcanum odium vestrum exsaturatum sit. Recitabant præterea nostri quod audierant, ecquam gratiam referatis Eustathio Quercetano philosopho grauissimo & medico doctissimo, qui Pollanum ad vos ex Belgica miserat: qui antea apud Grynæum propè præceptor fuerat tui magistri qui denique tibi in schol Lausanensi collega fuit. Népe, quia iam olim vos in Belgica depinxerat, talem Censoré atque Catonem iampridem oderatis: sed reconciliatis hostibus non esse fidendum, parum ille postea cogitauit: tu verò, vt sentiret, effecisti, sed tam insidiose atque perfidiose, vt vulnus, quòd clam inflixisti, cũ curare non posit, confiteri pudeat. Cæterum veterem eius amicũ, & (vt tuo verbo vtar conterraneum, Petrũ Alexandrum, tã magni nominis cócionatorem, tam vobis postremo addictum, posteaquam miserũ infatuastis, & eius lingua, & laterib. & gutture diu abusi estis, qua mercede iam sené remunerastis? Cur tu, Beza, cum perseque-

reris, ſingularis cauſa erat. Nam Argentinæ propter adulterium excommunicarat ſodalem tuum Hotmannum. Sed cur Caluinus ſibi non eſſe ſatisfactum putauit, donec in Anglia vexatum à veſtro Saulo mortuum eſſe audiuit? Et miramur, ſi Zebedæum, quem eadem terra procreauit, veſter autem lacus pluſquam viginti annis Miniſtrum habuit, tandem miſerum egere triumphes, & exultans nunc ſcribas? Nunquam finem fecerimus, ſi omnia quæ ex omnibus regionibus relata ad nos ſunt de vobis ſciſcitantes, referre nunc velimus. Ergo abrumpamus narrationem. Habes Theodore, quæ vt audires, à nobis impetraſti, dum imperioſe Balduinum ſollicitas, tibi vt rationem reddat ſuæ ad Tridentinam ſynodum profectionis atq; reditus. Habes & hiſtoriam, quã expetebas, ſed qualem fortaſſe non expectabas, itinerarij noſtri: habes fructum noſtræ peregrinationis: fructũ dico, quem percipere potuimus in cognoſcendis apud exteras gentes veſtris tropheis, apud quas eſſe vos propè ſemideos iactatis in Gallia: quia ſcilicet hanc tam pecudem eſſe exiſtimatis, vt & nihil ſciat rerum exterarum, & quicquid fingitis, ſtatim credat. Si in tumultuaria nar-

ratione

ratione noſtra fortè per errorem peccauimus, aut interdum relatio minus vera eſſet, quam tamen putamus eſſe veriſsimam: tuum erit redarguere, non tamen ſolo (vt ſoles) verbo aut ſibilo, ſed certo liquidoque teſtimonio. Equidem ſcio & fateor, te quæ ad te tuoſque pertinent, ſcire optimè, & narrare eleganter poſſe, ſi verum dicere etiam tam velles, quàm poſſes. Nos, quia minus curioſi ſumus, præſertim his in rebus, quas non magnopere ſcire laboramus, vix centeſimam partem actorum tuorum tenemus: & eorum quæ ſcimus, ne decimam quidem partem (adeo infantes ſumus) ſatis eloqui poſſemus. Nam & eorum quoque maxima copia eſt. Nuſquam in tota noſtra peregrinatione, pedem ponere potuimus, quin occurreret cum præclara fama tuorum actorum, aliquod eorum veſtigium. Quid dico veſtigium? Imò verò magnus latuſque campus: quem in tanta præſertim feſtinatione perluſtrare, vel nunc recordatione complecti minimè potuimus. Sed (vt dixi) tuum eſt, nos hoc labore ſubleuare: præſtes modo bona fide, quod potes, neque vllo affectu abs veri ſtudio abduci te (quòd minimè tamen ſperamus) patiaris. Multa

Sleidanus nesciuit, præsertim de rebus Gallicis mysterijsque vestris: & quæ post eius mortem acciderunt, maius volumen requirunt. Sed cùm tu hanc historiam describere institues, iterũ tibi prædicimus, vt scribas aliter quàm soles, hoc est, vt verè rem totam & integram, & optima fide describas, ne alius vel paralipomena supplere, vel mendacia expungere cogatur. Nos vt ad rem propositam reuertamur: certè iam nihil est quod domum reuersi magis admiremur, quàm vos illa, quæ dixi, omnia, nunc dissimulantes, in vnum Balduinum, qui vos iampridem missos fecit, tela vestra certatim dirigere: quem si non diligitis, ac certè cur eum vnum tam valde oderitis, nulla probabilis causa est. Nam quascunque tandem huius tam rabidi odij causas fingatis aut prætexatis, tamen non nisi duas verè potestis obtendere. Prior est, quòd iam inde ab initio vestræ Ambosianæ coniurationis, non potuit non damnare tam impia (liberè dicendum est) consilia, & Iesaiam prophetam potius audiuit, qui pronunciat, hominum verè piorum atque religiosorum esse, obturare aures suas, ne audiant sanguines. Altera causa est, quòd non modo mi-

ratus

ratus eſt vos cum tam ſaguinarijs conſilijs moliri, quam iactabatis, Eccleſiæ reformationem, ſed & doluit eo prætextu velle vos tanquam vna litura delere vniuerſam non modo formam, ſed & memoriam veteris Eccleſiæ, eamque totam vno tanquam chaſmate abſorptam ignominioſe ſepelire, vt ſoli emineatis. Poſſent, ſcio, hæc dici verbis lenioribus. Sed ſi ingenuè & apertè loquendum eſt, ſimpliciter dicimus quòd res poſtulat. Cæterùm cum tam multi toto orbe viri præſtantes, in eo, quod dixi, cum Balduino ſentiant, à vobis diſſentiant, hoc eſt, abhorreant abs veſtra intemperie, (dico omnes quotquot vſquam boni & intelligentes ſunt) mirum videri poſſet, cur in eum potiſsimum vnum irruatis, niſi ſi manifeſta eſſet tacita quædam impulſio, quæ vos agit præcipites, vt ab eo tandem aliquando, qui vos propius nouit, quod meriti iampridem eſtis, audiatis. Ergo cũ in eo vexando vos neq; fatigari neq; ſatiari poteſtis, etiã eo tacẽte, cordati homines ſatis intelligũt, ecquæ vos rabies impellat: in iſtoq; veſtro furore magis atque magis agnoſcunt iuſtũ quoddam Dei iudiciũ, qui in vobis veluti excæcandis atque indurãdis ſuam vltionem

nem exerit. Quid enim? Dicendum sæpius est, quod est verum & mirabile. Vnũ, alijs in Gallia præteritis, Balduinum exagitare nódum definitis. Atqui is vnus erat, quem minime omnium impetere, cuíue maximè omnium parcere debebatis, siue quod honestum, siue quod iustum, siue quod vtile vobis sit, consideretis. Ille Iurisconsultus est, non riualis vester. Contentus est sua vocatione atque professione, quæ vobis nihil detrahit. Non tractat ea, in quibus regnare soli vultis. Vita eius priuata, casta, quieta, modesta, officiosa vos offendere nó potest, si viri boni estis. Si quis est, qui domi suæ ita viuat, vt prosit, quib⁹ potest, noceat nemini: ac ne nunc quidẽ desinat benemereri etiam de ingratis quibusdam Bezanis: si quis est, qui iam inde à pueritia deploret corruptelas deprauatæ religionis, maculasque Ecclesiæ deformatæ: si quis est, qui iã inde à primis annis legitimam reformationem desideret, & ad eam cõferat, quod potest: si quis est, qui nihil vnquam quicquã delibauerit de Ecclesiæ spolijs, neque de ijs, quæ idolothyta appellatis: si quis est, qui in sua mediocritate ita sese cótinuerit, vt integra ingenuaque libertate conscientiam bonam retinuerit, nulli partium intẽ-

peran-

perantiæ addictus: si quis etiam qui etiámenum sequatur vitæ studiosæ, tranquillæ, innoxiæ genus, quod ne vos quidem acutisśimi atque morosisśimi Momi, merito & iure reprehendere posśitis: hunc certè in numero eorum esse, qui ita viuunt, etiamsi disrumpamini, inficiari non potestis. Denique si quis est, qui omnem occasionem sui amicè dimittendi vobis dederit, nullam rabiose persequendi, is certè vnus est. Quid igitur tandem vobis vultis, dum in eum vnum tandiu debacchamini? An non iusto Dei iudicio præcipites ruitis in vestrum exitium, dum in illum incurritis, qui vos & nouit, & detegere potest, vt quales sitis, tales etiam habeamini. Si saperetis, hunc vnum potius refugere, vel etiam, si vos prior prouocasset, disśimulatione quadam placare debuissetis. Sed si fatale hoc malum est, quod vobis accersitis, nulla vos sanare posset admonitio nostra. Ergo quod vobis intristis, exedite. Tantũ certè abest, vt ille vitam suam totã, & minima etiam quæque eius momenta retegi recuset, nihil vt optet magis, si modo tam verè id fiat, quàm tu id falso facere voluisti. Scit enim, si vera narratio sit, sibi aliam nõ fore necessariam defensionem. Itaque sim-

litus,ſuo etiam ſumptu procurabat negocia Gallaſij Sauli nunc tui:quem ſi nũc teſtẽ tibi opponam,ecquo te vertes?Nam etſi tu illi poſtea factus collega ſis,tamen nõdum(credo)tam eum tua conſuetudo,deprauauit,ſed neq; tam eum ingratum eſſe exiſtimamus, quin etiãmnum agnoſcat, quantum Balduino debeat:ac,ſi fortè inficiaretur,tot eius epiſtolas iſtinc miſſas edẽre poſſemus, vt alijs aut ſyngraphis aut chirographis opus non eſſe,omnes eſſe dicturos, minimè dubitemus. Eſt autem in ea familia natus Balduinus, vt patrimonio etiam ſuo ſpoliatus, egere non poſſet: ne mireris tantum illi ſuperfuiſſe,quòd ipſius Gallaſij parentibus, cum quibus viuebat,rem illius iſtic minimè abundantis curaturus, tantum perſolueret. Nunc quid tu,eius temporis mentionem faciens? *Memini(inquis)illum aliquando in illa partim ocioſiſſimorum,partim in alijs fallendis occupatiſſimorum hominum turba*(hac enim honeſta periphraſi deſcribis Curiam Palatinam) *contractis manibus prandia & cænas odorari,&c.* Tuáſnè maleolentes,ſiue Sardanapalicas, ſiue Heliogabalicas cœnas, impurè ganeo: tuánè prandia,inceſte conuiuator, ex ſacrilegijs quidẽ condita,ſed tetris ſtupris cõſpurca-

ta, quisquam vir honestus odorari poterat? Quisquámne, flagitiosissime leno, vel limen tuum adire, quin nares contraheret & oculos auerteret, cum in eo fœtidum lupanar, quod nocturnas tuas commessationes exhalabat, statim sentiret? Quisquámne tuam tenebricosam popinam ingredi voluisset, qui tibi similis non esset? Quisquámne eius vel nidorem vel odorem ferre potuisset? Age: non possumus, cum tecum loquimur, & casto semper vti sermone, & castis aliorum auribus & pudori samper parcere. Tu enim etiam ab inuitis extorques aliquod tuum verbum, quod audias.

Ignoscant honesti viri semel nostræ, fortasse minus honestæ, orationi, qua nunc vtemur coacti. Cùm tu, ô temulente Satyre, cum tua Pallade discumbebas, ecquibus sermonibus Platonicas cænas tuas condiebas, vt se beatum existimare debuerit Balduinus, si cum vmbris sedere ibi posset, odoraturus tales delicias, tale nectar, talem ambrosiam? Ex multis vnum, in quo cantillando, in medijs epulis complexus tuam Deam, sertisq́; coronatus maxime tibi placuisti, dicam. Tu illam, corculum tuum, illa te, mentulam suam (amabo) vocitabat.

Tum

Tum verò amens exclamabas,

O docto bene fœminam cerebro?
Nam si dicere, Corculum, solemus,
Cur non dicere, mentulam, licebit?

Si hæc mens tua fuit, quam istuc tecum abstulisti: si hæc fuit suauis doctaque dementia, qua tuos conuiuas exhilarabas: si hæc bellaria, quibus tuam concludebas comessationem, an vllum Platonis symposium tuo præferendum fuit? O religiosum conuiuium ô ἀγάπην, ô cœnam eruditam, quàm Balduinus & subrusticus & talis elegantiæ imperitus, & talium mysteriorum ignarus, atque etiam ab ijs natura abhorrens, appeteret. Quid multis opus est? Nihil erat magis vulgatum, quàm eo tempore esse Lutetiæ quendam nouum Theodorum ἄθεον, qui audiens quendam adolescentem Balduinum nescio quid de religione cogitare, & eo nomine à Caluino literas accipere, suauiter vtrunque irrideret, hunc, vt fatuum & ineptum puerum, illum, vt insignem impostorem καὶ ἱέρωμα. Sed alioqui Balduinus non putat sibi te visum esse, aut se de te vnquam somniasse eo tempore. Prælegebat tunc fortasse publicè, maximo auditorum concursu, Leges publicorum iudiciorum. Quo die inter-

 pretatus

fratris, qui Lugduni grauiter decũbebat, inuisendi. Tu illic eum tanquam Gryphij mãcipium versasse prælum, significas. Sed bene habet: Extant quædam eius scripta tunc excusa, annotationes dico ad Nouellas Iustiniani & ad Aediliciũ Edictum: ex quibus impudẽtia tua refelli, etiam nobis tacẽtibus, posset. certè tam habitus iã tunc fuit pro Iurisconsulto minime vulgari, vt non solum Gratianopolitani talem professorem requirerent (tametsi quia istic vixerat, existimationem suam minuisset) sed & Bituriges eum accerserẽt, vt Duareno, qui tunc abdicarat, succederẽt. Accessit liberalis fauor & amplissima voluntas ipsius Biturigum Ducis, Margaritæ Valesiæ Nauarræ, Heroinæ optimæ maximęq́: cuius nomẽ quoties auditis (quod infamare magister tuus suo de Libertinis libello famoso conatus est) metuere debetis, ne filia & hæres, cuius bonitate abutimini, aliquando maternæ iniuriæ vindex sit. Margaritam illã salutauerat Balduinus eo ipso die, quo filia nubebat Antonio Borbonio Duci Vindocinẽsi, atque huic ẽtiã ab illa iam tum fuit commẽdatus. Quod obiter dicimus, quia impudenter mẽtiris ne duodecim quidem post annis notũ huic Duci ac principi fuis-

se, quem Nauarrenum appellas, an ille natus esset. Sic itaque in doctissimum collegium iuris Antecessorum cooptatus, sex aut septem annis illic docuit ius ciuile, & ita docuit, vt nostro præconio non egeat: simulque ita vixit, vt priuatim non minus exemplo bono, quàm publicè, doctrina sana, prodesset studiosis: neque tamen veterem, cum ijs, quos Geneuæ reliquerat, amicitiam violaret. Exprobrare beneficia, quę tunc ijs etiam ingratis contulit, posset. Verùm exprobrare nondum didicit. At (inquis) *in vrbe Biturigium interfuit missæ nostræ.*

Si ita sit magnũ profectò crimen, quod te quidem missante, idololatriæ etiam accusari possit. Sed ignosce iusto errori. Nũquam ille antea audierat te Biturigibus fuisse sacrificũ: illic licet in adolescentia fuisse te, quod postea Aureliæ, & deinde Lutetiæ fuisti, hoc est, eruditum ganeonem, sæpe audierit. Sed neque cum illic missam (vt ais) vestram caneres, te agnoscere potuit, cum eo tempore Geneuę longè aliud agere te audiret: & verò oportet, valde tectus & subtilis explorator ad Biturigum altare accesseris, qui tunc à nemine sis agnitus. Illud verè dicere possum, Balduinũ in ea vrbe sæpe vestro nomine in periculum venisse,

nisse, dum vobis amicior esse credebatur, & erat fortasse quàm esse debebat: neque certè aliud habebant illi, quos laudas, inimici, quod huic odiose obiectarent, tametsi quod de inimicis atq; adeo (vt ais) inimicissimis Barone & Duareno fingis, rursus cōuincit te esse hominē deploratæ partim impudentiæ, partim insaniȩ. Cū Barone coniunctissimus quandiu is deinde vixit, hoc est, trienniū docuit totū Ius Ciuile Balduinus. Si dignaris legere epistolam præfixam Operibus Baronis hic editis, intelliges quàm importuna sit in hoc genere maledicētia tua. Mortuo Barone auctor fuit, vt Durarenus reuocaretur, atq; vt illi redeunti vltro concessit priorem, in quo consistere poterat, locum, sic habuit toto quadriennio sine vlla vllius simultatis significatiōe bonū collegā. Quid posteaquā discessisset, Duareno à quibusdam vestræ factionis nebulonibus incitato exciderit: & cuius contentionis, ea res, causa fuerit, paulò pòst suo loco & tempore dicam: & in ea ipsa vestram malā (vt ille ait) malitiā patefaciam. Sed illud nunc dicendum est, quod negare non poteris: cum, Balduino sponte abdicante, successorem ille cooptaret doctissimum Iurisconsultum Iac. Cuia-

pro sua fide & integritate dicturus etiam plura sit, quã nunc dicamus, neque nõ vos illi doctissimo Iuris antistiti, vt alijs in rebus fecistis, sic hac in contentione facitis iniuriã intolerabilẽ. Sed ita soletis magnorum iurisconsultorum nomina celebrare. Cæterum vt quicquid de Buturingẽsi professione & vita cauillaris paucioribus testibus, sed magnis, & quos revereri cogeris, refellam, en duos tibi cito viros amplissimos Mich. Hospitalium Cancellarium, & Fr. Laubespinium Pręsidem, vtrunque eo tẽpore & academię curatorem, & Balduini iudicem non minus quã patronum.

Cùm iam septem annis in ea schola Balduinus magna cum laude fecisset officium suum, tandem, qui fuit annus M. D. LV. dare se cœpit quibusdam eum in Germaniam ad excitanda purioris iurisprudẽtiæ studia vocantibus. Nam & nescio quomodo de vestris, qui modo Geneuæ non habitarẽt, indicabat etiámnũ ac sperabat, quod optabat. Si tam astutus, quàm eum esse fingis, fuisset: vel non nisi sua commoda, vt mentiris, esset secutus, pedẽ non mouisset. Sed fatali quodã impetu trahebatur. Neq; tamen tam aberrare rursus voluit, vt istac trãsiret: quod vos eum facere noluisse indignè

dignè tulistis,(magna enim erat hæc scilicet iniuria)sed ipse cur à recto itinere diuerteret,nullam esse causam vidit.Comitē &(vt loqueris)assеclam habuit Bouquinū nunc vestrum Doctorem Theologię.Eū non recusamus testem totius profectiōis. Ergo Balduinus nullo neque dispendio, neque periculo,neq; labore retardari potuit,quin Germaniam inuiseret. Cùm autem rectà iturus esset Tibingam,vt erat inuitatus:tamen in medio itinere intelligēs Molinæum eo redire velle, neque volens huic obstare,diuertit Argentoratū:cumque ibi quiesceret,rogatur, vt Iuris Ciuilis scholā,quæ iam toto biennio iacuerat, excitaret. Ne ad eius quidem fundamenta iacienda demittere se recusauit. Sed cū hoc agit non sine bono successu, nescio quo errore duo commisit,istuc respectās, quorum & paulò pòst eum pœnituit, & pœnitebit semper. Primum enim amicissimas de studijs bonis literas ad te dedit. Nam & si te Lutetiæ talem fuisse audijsset, vt sibi tecum nihil negotij esse optaret,tamen homo ineptus existimabat te postea Geneuę,aut Lausanæ ita regeneratum, ita reformatum esse,vt tanquam alium compellare posset,oblitus veteris versiculi, *Cælum*

lum, non animum, &c. & nescio quomodo illud somnians *Saul inter prophetas.* Tu nunc Balduino tales literas obiectas. Rectè facis, Sunt enim te indignæ. Nam & si is minus iam meminerit, quid ad te tunc scripserit, tamē suspicatur honestius ac liberalius scriptas fuisse, quàm merebaris. Et verò fecisti, vt hoc statim intelligeret, cum nullū responsum reddidisti pro singulari tua ciuilitate, comitate, humanitate: quā superbiam & barbariem tuam ipse Petrus Martyr tanto magis detestabatur, quòd auctor fuisset, vt ad te scriberetur, & in eius domo scripta epistola fuisset. Alterum Balduini ex non dissimili errore peccatum fuit, quòd Hotmanni tui, Lausannæ languētis, & in cędendis, quos in tuo ludo Grammaticam docebat, pueris fatigati, & ex eo carcere liberari miserè cupientis, & commendatione Balduini, ad aliquam iuris professionē rediret, literis temere crediderit. Literas, si vis, & licet, edemus. Nouerat eum Lutetiæ, sui & literarum imprimis studiosum. Dum meliorem effici optaret, Lacū Lemanicū vt inuisat, auctor fuit eo & tempore & errore, quo & ipse ad eum est profectus. Sed pdidit, perdidit ingeniū bonæ spei, qui auctor fuit, vt eo iret, vbi in tuam

disci-

hentur etiámnum eius literæ, quæ testantur eum ex tuo ludo & cõsuetudine nihil in Germaniã attulisse nisi nequitiam Bezanam. Proferentur, cũ voles, Sed vt id nunc tãtum agamus, quod quæritur, & testimonio, quod tu repudiare non ausis, explicetur, & multa alia prætereãtur, solum ascribam principiũ Sturmianæ ad eum ipsum tuum fraterculũ expostulationis. Nã Sturmium etiámnum ais esse tuum, & fide dignũ esse profiteris. Grauiora sunt eius expostulationis reliqua, quæ aliàs proferentur, cum erit necesse. Posteaquã ille exposuit, qua arte cũ literis Caluini, qua dissimulatione, qua calliditate, qua insinuatione bonus ille tuus frater irrepserit, vt Argentinensis falleret, vt ciuis fieret & aliquem in priuata schola humilem locum cum nescio qua stipe impetraret, sic scribit ad eum.

Sturmius Hotomanno.

Cùm tibi tua professio non videretur satis bonorifica, & Doctor Balduinus anteferretur propter professionem iuris: à Balduino Doctore impetrasti, vt pro ipso aliquando doceres. Non inuitus ille id tibi concessit, neque quicquam minus metuebat, quã vt tu illius insidiareris aliquando vel fortunæ, vel existimationi. Sed tu subitò & Duarenum contra

eum

eum concitasti: & Balduinum apud me accusasti, & non aperta, sed occulta criminatione, cùm diceres, vt mihi ab eo cauerem, nihil ei clausum esse, obseruare omnes tabellarios. Aduersarium eum esse Doctori Duareno, doctissimo viro, & religionis nostræ studiosissimo. Inimicum verò esse Caluini. Hac tu accusatione effecisti, vt ego alienarer à Balduino, & propter me alij etiam ab illius abstinerent familiaritate: vsqueadeo vt Balduinus, Heydelbergæ quàm nobiscum, esse maluerit, & ibi à Principe & schola stipendium acceperit. Atque hic etiam, quid veri in altera parte fuerit, facilè apparet. Falsum enim erat, quòd de Duareno dicebas. Nam moriturus contra religionem nostram, pro Pontificia est testificatus. Balduinus innocẽs omnino: nisi abs te in tenebris accusatus esset, comparatis per te literis accusatricibus, sparsis etiam per te criminibus: quibus calumnijs bono Principe abutereris contra innocentes. Sed suo tempore omnia reuelabuntur, quæ nunc sunt abscondita. Sed tamen ne tunc quidẽ obseruabã tuas insinuationes, & tuorum consiliorũ exitus. Et postquã Balduinus à nobis Heydelbergã discessit, & antequã discessit: constaret autẽ eum discessurum: in illius postulasti locum succedere, & per me illud procurabas, & ego impetraui, tacitè nonnullis improbãtibus, qui tuam simulatã simplicitatẽ obseruabant diligentius. impetrasti tamen eâ qua methodo ante aliquando apud me vsus eras,

eadem etiam eo tempore vtebaris: & dicebas turpe esse in Balduini locum succedere laborum, & non stipendij, & cæt.

Hæc ab ipso, ipso Sturmio vestro scripta & euulgata esse cũ scias, & scias quoq; esse verissima, & ab omnibus legi eadem fide non ignores: nunc quo ore declamas, qua manu scribis, ab hoc Hotmanno Argentinæ Balduinum conuictum esse sceleris? Rectè tamen addis: *nescio cuius*. Sciebas enim nullum fuisse: sciebas verò cuius ipse Hotmannus conuictus damnatusque sit. Neque verò tua impudentia contenta est hac vna scelerata calumnia. Passim etiam scribis, Balduinum modo Argentina esse eiectum, modo ab Argentinensibus aufugisse. Velles enim persuadere, eum illinc discessisse, vt tu ex Gallia, vel etiam ex tua Lausana. Sed nihil agis ô bone. Balduinus cum Argentinæ, inter peregrinos, quibus clam leges dabatis, eas per vos excitatas esse turbas, quæ illic deinde perpetuæ fuerũt, & vestros illic esse, quales sunt istic, intelligeret, lubẽter audiuit euocari se ab optimo principe, Friderico seniore Palatino, ad Heydelbergensem academiam, hoc est, ad iuris scholam celebriorem, & vitã tranquilliorem: vt & simul tuo illi frater-

culo iampridem hianti & famelico vltrò cederet, quod miser candidatus tot iam mensibus anhelans frustra ambierat. Extant literę Palatini Electoris ad Senatum Argentinensem, honorifica rogatione Balduinum requirentis: extant & eius Senatus ad Palatinum, honestißimè dimittentis Balduinum cum pręclaro elogio. Quid igitur laboras, vt aliud persuadeas? Te, te, tametsi frustra id faciam Theodore, per tuam, si minus ingeneratam, at certè regeneratam ingenuitatem obtestor: si qua in te conscientia, si qua frons est, qua vel conscientia vel fronte agis, vt agis? Nam neque hic locutus est, in quo dicas poëtis mentiri licere, quibus quidlibet audēdi potestas data sit. De tota Balduini vita & professione Argentinensi, quæ vnius forte anni fuit, cum non modo res ipsa, & ciuitas tota præclarè testificetur, sed & clarißimi auditores tota Europa sparsi (è quibus nunc vnum, honoris causa, nominabo, principē Nassouium, qui nuper Balduinum in Belgica tam est amicè complexus) quid Beza, tua misera inuidia, & se & te frustra torquet, vt illius temporis laudem gloriamq; imminuat, & Solis luminibus officiat? Et verò sentiēs, aliud, quod latrando arrodas,

alibi

alibi quærendum esse, Balduinum vos fugientem, Heydelbergam vsque persequeris. Sed inuestiga curiose singula: quid tandem proficies? In illa Germaniæ academia Palatina Balduinus Ius ciuile docuit prope quinque annis, & ita docuit, vt si maledicentia in hoc quoq; genere tua sit retundenda, non modo doctissimi auditores insurgent, sed ipsi, ipsi, qui Scholam circunstant, montes, ipsi parietes auditorij etiam num doctorem illum suum requirentis, clamabũt te esse, quod es, hoc est, omnium hominum (non occurrit nunc verbum te dignius) nequissimum. Cum primùm eò Balduinus veniret, scis quàm florenté inuenerit eam scholam? Inuenit virescenté. Nam & ipsum, quò ad auditorium ibatur, iter tam erat tritum, vt musco tectum esset, non minus quàm auditorij subsellia enatis graminibus constrata. Tanta solitudo, tantus situs, squallor tãtus erat: credo, quod paulò antè pestis vrbem afflixisset. Tam tristis tamen facies Balduinũ minime deterruit. sed nec reliquæ difficultates multæ & graues, quæ molienté, quod moliebatur Iurisprudentiæ causa, circunstabant, eum debilitatum perculerunt. Quid assiduo tandem labore & diligentia effecerit,

rit, ex re ipſa iudicium fiat. Tu, qui in rem præſentem ſępius eò profectus es, & meliorem doctioremque ſcholam Iuris, antècesſore Balduino, quàm velles, etiam inuitus vidiſti, quid fruſtra reclamas? Ipſi etiã, ipſi Commẽtarij, qui eo tẽpore editi ſunt, & abs ſtudioſis etiámnum leguntur, idonei ſunt teſtes ad refellendam tuam obtrectationem. Et verò eã proſpiciens Balduinus, ſuorum ſtudiorum laborumque monumenta, quæ obruere non poſſes, relinquere voluit: & quamuis præter ordinariam Iuris profeſsionem, vltro alterã hiſtoriæ vniuerſæ prælectionẽ ſuſcepiſſet, tamẽ eodem tempore ſtudioſis etiam ſcribendo prodeſſe conabatur. Quid igitur tunc & ageret & doceret, ſaltem ex libris, quos illic emiſit, diſcito. Tituli eorum ſunt hi, ſi fortè requiris.

Catecheſis Iuris Ciuilis

De Legibus XII. Tabularum.

De Pignoribus & Hypothecis.

De Conditionibus.

Ad Paulum de diuiſione ſtipulationum.

Ad eundem de Cautione lecta in auditorio Papiniani.

Ad Papinianum de Euictione & duplæ ſtipulatione.

Ad Re-

Ad regulam Catonianam.
De Iurisprudentia Muciana.
Ad legem Voconiã, Falcidiam, Iuliam Papiam. Poppæam, Rhodiam, Aquiliam.
Iustinianus, siue de iure nouo libri quatuor.
Notæ ad lib. I. & II. Digest.
Disputationes duæ ex Papiniano.
Ad Edicta veterum Principum Rom. de Christianis.
Minutij Octauius restitutus.

Hæc omnia Balduinus Heydelbergæ edidit, excúsa ab Oporino, quæ vt spero, sola sufficient, vt eius diligentiam aliquã indicent, & tuam simul maledicentiam reprimant. Interea Balduini domum Heydelbergæ fuisse veluti liberale quoddam pandocheum, præsertim peregrinorum Anglorum atque Gallorum, quibus humanissimè semper patuit, neque ignorare, neque negare potes. Si dubitas, saltem interrogato duos, tuæ nuper militiæ duces fortissimos, quos familiariter notos habes. Sechellium & Luzium. Speramus enim tantum in ijs etiámnum superesse & generosæ ingenuitatis, & grati animi, & bonæ fidei, vt dictuari, etiam inuito te, sint, quod verum est.

Sed de discessu Balduini Heydelbergã

relinquentis conquereris. Cur ita? Non est, Theodore, Iurisconsultorum, quæ vestra est conditio. Vos, si Ecclesię (vt iactatis ministri estis, & vllis legibus canonibusque Ecclesiasticis tenemini, non potestis ab Ecclesia, cui mancipati semel & ascripti estis, discedere. De te non loquor, quem nullæ tenent leges. Loquor de ijs, qui minus dissoluti sunt. At Iuris interpręs non ita est vni alicui loco vel in perpetuum astrictus vel alligatus. Imò verò Papinianum suum audit negantem tali conditione posse infringi libertatem ingenui hominis. Quid igitur? Cum Balduinus iam præstitisset, quod susceperat, & tempus, quo sese Heydelbergæ ius interpretaturum esse spoponderat, effluxisset, petijt missionem. Non potuit impetrare. Nam non solum Academia tota, sed & illustrissimus princeps Elector, non solùm sponte aucto honorario, sed & suæ erga literas bonas beneuolentiæ testificatione maiori potius impetrauit, vt Balduin' vno aut altero etiámnum anno perpoliret, quod inchoauerat: huic tametsi princeps ille vestræ coniuratiõis sacramétarię hostis acerrimus, aliquãdo minus deditus fuisset propter suspicionem vestræ contagionis.

gionis. Adeo nunquam nisi propter vos Balduinus periclitatus est. Nam etsi minimè omnia vestra probaret, tamen quia de multis vestris hominibus bene mereri nō desinebat, probare credebatur.

Mortuo illo principe, cum sentiret miris cuniculis sese insinuantē magis atque magis illic inualescere vestram factionem, an miraris, si de discessu aliquando cogitarit? Certè optabat aliquem iā tranquilliorē secessum, vt ludos vestros neq; audiret, neque videret. Tu tuo more, quicquid tandem voles, maliciose fingas. Sed ita se rem habere liquet, vt dicam: si modo rursus lectores obtestatus fuero, mihi vt veniam dēt, si diutius leuiculis istis & exilibus narratiunculis rerum propè inanium eos obtundam. Aduersarij curiosa & impudens calumnia ad hanc nos defensionem cogit. Quam fabulam hic narret, legant qui volent. Ego notam & simplicem veritatem opponam. Mittebat illustris. princeps Fridericus Palatinus filium suum Casimirum in Lotharingiam. Eum ex sententia patris comitatus est Balduinus, qui inde in Galliam rei priuatæ causa cupere se proficisci non dissimulabat. Sed de migratione alioqui tam nihil statuerat, vt Heydelbergę re

licta tota familia sua, vxore, & liberis, solus sit profectus. Casimiro principi comes tam gratus fuit, vt non alia quàm eius mensa vteretur, cuius & sumptu, ex sententia quoque patris, iter vnà peragebat. Cũ ventum est ad oppidum Barrense, in eo substitit Casimirus, Ducem Lotharingiæ, qui in Gallia erat, expectaturus: cum optima autem eius gratia Balduinus institutum iter persequitur: &, vt fit, in medio itinere incidit in aulam Regiam: in qua cum se ignotum esse putaret, agnoscitur atque salutatur à pluribus quàm vellet. Vnum nunc, honoris causa, nominabo virum amplissimum, Paulum Foxium Senatorem nobilem, Reginę Francæ & Nauarræ cognatũ, & Regis postea in Anglia legatum: qui vnus rem totam tenet, & tam potest grauissimo suo testimonio omnes Bezanas calumnias refellere, quã liberali patrocinio hactenus Balduinũ defendit. Is cum hunc nunquã antea vidisset, occurrentem fortè interrogat, num ipsus esset, cuius in Minucium fortè præfationẽ tunc legerat. Agnitum & propè restitantem ducit ad Nauarrum. Nauarrus, pro sua incredibili humanitate cum intellexisset eum esse, quẽ sua socrus in academia Biturigũ olim aluerat, &

Ger-

Germania postea euocarat, iubet, Lutetiæ Parisiorum vt ad se redeat. Se enim de Republ. & controuersijs, quæ tum agitabantur, colloqui velle. Non potuit id recusare Balduinus, tametsi nihil vnquam quicquam magis illi præter opinionem accidisset.

Lutetię à Nauarro ducitur adReginam. Inde mittitur ad CardinalemLotharingũ. Si quanam commendatione tam repente principibus innotuerit, rogas, quære abs ijs, qui commendarunt. Sunt enim ij & familiariter tibi noti, & tuo quoq; e iudicio fideles. Si qualia fuerint colloquia, etiã rogas: de religiosa conciliatione controuersiarum fuisse, velis nolis, intellexisti. Interea Ministellos quosdam, nescio quo veluti terrore panico perculsos frustra trepidasse Lutetiæ, & cæca inuidia incitatos multa aduersus Balduinum molitos esse, non nescimus. Sed ille bona cõscientia subnixus, tam eorum fatuas ventosasq́ue calumnias securè contempsit quàm nunc contemnit tuas. Et interea dum retinetur à Nauarro, tam abs suis prioribus studijs alienus non fuit, vt etiam tũc ediderit libros duos προλεγομένων, De institutione historię vniuersæ, & eius cum iurisprudentia coniunctione. Ir-

ne. Irrideas nunc eos, vt voles, nasute Zoile. Vt risu inepto nihil esse ineptius, sic Sardonio nihil esse flebilius quidam olim rectè dixit. Ergo (vt tuus Martialis ait) *nasutus sis vsque licet, sis denique nasus*: tuas sannas nihil moramur. Tandem Nauarrus Balduinum remittit cum optimis mandatis in Germaniam, cumque honestissimis literis ad Palatinum, vt bona eius gratia, Balduinus cum familia sua totus in Galliam reuertatur, huic Reipubl. operam daturus. Hic cum Palatinum alloquitur, intelligit vos interea non cessasse, dum absenti strui tis insidias, & nulla non propterea fingitis spargitisque portenta calumniarum. Sed optimum principem frustra à vobis esse tentatum. Sic optima eius gratia, discedit, & suam iuris scholam cõmendat duobus optimis atq; doctissimis suis collegis, Nicolao Cisnero atque Caspari Argricolæ. Illum in Gallia, hunc in Germania discipulum atque auditorem habuerat. Sed tanto lubentius vtrunque deinde habuit collegam. Et nos nunc eos honoris causa lubenter appellamus, quos tu, cum enumerares collegas Balduini, improbè præterijsti, vt alios duos indignos substitueres, q, vt dictum est, nunquam Balduino collegæ

fuerunt.

fuerunt.In Galliam reuersus statim sensit vos in aula multomagis mouisse omnem lapidem, vt Nauarro abalienato, nouus hospes cum familia, nouo exilio iactaretur. sic enim hi charissimi fratres, multis iam annis, hominem de ipsis nimium bene meritum incredibili rabie & insatiabili odio persequuntur, vbique intenti, vt ei insidiētur, vt noceant: vt eum nusquam quiescere, respirare nusquā patiantur. Quod quoties mecum reputo, propè attonitus exclamo illud. *Musa mihi causas memora, &c.* Ergo vt in Germania nihil prætermiserant, si quid fortè nocere illi possent, sic in Gallia multomagis, cum & Nauarrū tunc in sua potestate habere sibi videbantur. Sed gratię agēdæ sunt clarissimo viro Paulo Foxio, qui suæ fidei memor, neque veritati defuit, neque innocentiæ. Is cum tibi familiaris alioqui in aula esset, & sit vir ea virtute, sapientia, dignitate, familia, vt talis viri verbum vnum debuerit te comprimere, tamen maluisti morē gerere insano tuo in Balduinū odio, sentires licet, te nihil agere. Sed cur hoc miraremur? Eodē tēpore, ipse tuus Perrucellus, qui abs Principe Cōdensi euocatus ex Germania reuersus fuerat, qua & calumnia, & perfidia abs

te exce-

te exceptus est ? Iampridem enim hominem pessundare conabaris . Meministi, quàm turpiter tuam in eo exagitando, in ipsa tunc aula, insaniam ostenderis: & quo tamen iudicio , cum summa ignominia tua, calumniæ damnatus sis. An Balduinũ vel eijcere, vel deijcere facilius te posse putabas? Sed magnam tuæ maleuolentiæ causam allegas , quia in eo conuentu siue aulico siue Posiaco , ille te non salutasset, honoris causa, neque ad te sua consilia retulisset. At cur tu potius ad eum non veniebas? Nam siue personam, siue dignitatem spectemus, cur ille potius ad te, quam tu ad illum? Imò verò (inquies) eram propè quod Paulus de se ait, κλητὸς ἀπόστολος. Vnde hoc probas? Vocatus (inquis) eram abs Nauarro, & eius eram Apostolus. Quomodo, cum te obtrusisses, vocatus sis, & cũ antea ad eũ excurrisses ad Pyrenæos vsque montes, quomodo te insinuaueris, & quid tunc captaris, aliàs dicam. Sed fueris sanè vocatus: quomodo te Apostolum probas? Quónam tãdem ab eo es missus? Dimissus potiùs statim ignominiose fuisti, & iussus redire, vnde veneras. Cur ita dimittenti, vt antea vocanti, ô noster apostole, non paruisti? Imò verò cur ne Neuarri quidem

baculo

baculo & armis abigi potuisti? Dices, quia non sit Apostolicum fugere. Vah, quid cum isto irrisore agimus? Sed nihil hæc ad Balduinum. Cur autem hic te non adorauerit, si quæris, hoc scito: Cum obstupesceret eam esse impudentiam tuam, vt frontem tot infamiæ notis inustam etiam auderes ostentare in tam nobili conuentu Regum, principum, antistitum, & clarissimorum virorum: tum verò quò tenderes, quid captares, & quísnam esses, iampridem tam valde sciebat, vt nihil sibi tecum negocij esse optaret.

Neque tamen nulla fortasse causa fuit, cur eum, quem cõtemnere te fingis, reformidares. Sed tantò magis ingratus es, cum illi gratias non agis, quòd cesserit, quòd tibi non occurrerit, quòd se non opposuerit: denique tibi pepercerit, quem occupatum satis superque esse videbat. Quis verò iam non miretur, audere etiámnum te mẽtionem facere Posiaci (vt vocas) Concilij, in quo tam gloriose scilicet triumpharis, cum iussus tuę vocationis & ministerij extraordinarij rationem reddere, tam vel turpiter obmutueris, vel impudẽter eluseris? Nempe, qua confidentia illius siue Collationis, siue disputationis acta falsa euulgasti, ea-

sti, eadẽ putasti posse tẽ totius historiæ ve-
ram memoriam delere. Sed (quòd sæpe fa-
cis) iterum erras, confidẽtissime magister.
Acta & vera & integra, benè cõsignata su-
persunt, quæ, cùm erit necesse, proferẽtur
cum sempiterna nominis tui infamia: si
qua modo infamia maior, aut cumulatior
esse posset, quàm sit ea, quæ iampridem tẽ
vrget. Quid verò, quid si etiam aliquando
in lucem prodant illá cõsiliorum tuorum
mysteria, in nemore Posiaco & opacis e-
ius spacijs vel vmbraculis eo tempore ia-
ctata, & quicquid in eo genere lucus ille
Sangermanus (vos Coryli testes) audiuit
& texit: an nihil erit, cur gloriosæ tuæ ia-
ctationis te pudeat?

Spectabat illas tuas strophas atque an-
tistrophas Balduinus, neque non in quam
catastrophen erumperẽt, prospiciebat: Sed
nũquam os aperuit, vt ijs incercederet. In-
gemuit quidem, boná Galliám tãto stu-
dio res bonas quærentem, quodam errorẽ
(ô miseram) incidisse in talem magistrum
τῆς ἀκαταστασίας in talẽ ministrum confu
sionis, in talem stellionem, talem pseudo-
lum, talem impostorem. Sed nihil aliud,
quàm in tacito sinu defleuit talem indigni
tatem: tibi alioqui non fuit molestus. Nam
neq;

neq; est tam (vt ais) πολυπράγμων, vt rebus alioqui ad se nō pertinentibus vltro se aut ingerat aut immisceat. Itaque te facilè passus est tuo arbitrio insanire, dum hominibus rerum imperitis illudis, & tanquā offusa quadā nocte cæca, miseræ Galliæ te venditas. Verùm tu illius quoque silentium suspectum habebas, & nescio quo modo tibi ab illo metuens, securo & tranquillo animo esse non poteras. Ergo ad eum opprimendum, quia vna non successerat, alia aggrederis via. Ex tuo Acheronte Lemannico euocas nouum fulmen, quo eum, & vehementius percelleres & longius abigeres. Incitas enim Iouem tuum, vt exagitās quendam Cassandri libellum, qui tūc forte prodierat, & erat tuis actionibus molestus. Balduinum famosissima aliqua declamatione vexaret. Concurrebant omnes eo tēpore terrores, quibus Balduinus propè exanimari posset. Prospiciebat enim quid ageretur. Sed seipsum bona cōscientia obfirmauit, & terribili aduersario statim obiecit Leges de famosis libellis deque calūniatoribus, si quid illę fortè possent in iure aduersus vim. Tu iam eū commentariū clamas esse pessimum. Sit sanè tibi & tuis pessi-

pessimus, qui sententiam de vobis capitalem optimo iure dicit. Sed multo fuisset melior, si iustus legum executor fortisque & acer vindex accessisset, qui te docuisset, quid sit illud *Si caluitur, manum endo iacito.* Qualiscunque autem sit commentarius ille, rogamus, vt ab ijs, qui de hac tota causa iudicare volent, relegatur, ne ex eo plura, quæ hoc alioqui loco repetēda essent, nūc ociose describere cogamur. Debueras autem, Beza, si quid in eo reprehendere posses, illud nūc exponere, potiusquam hęreres in ieiuna, & inepta, & fatua, & puerili quæstione de illius priuilegio. Non enim res ea digna est, quæ te maceret. Iam magister tuus in ea cauillatione iudicatus erat tam valde ineptijsse, vt pudore quadam eam abiecerit. Tu, qui quiduis fingendum esse putás, potiusquam vllam vel leuissimam culpam agnoscas, in ea quoque ridicula stultitia perstas, & ais millies te abs ipso typographo Vechelo audijsse, quod es cōmentus. Atqui, ne si velimus quidem, id euinces: & ipse hodie interrogatus respondit, nunquam se tecum, nec te cum illo ea de re esse locutum. Itaque semel mentiendo, millies mentitum esse te significas. Verùm leuissimum hoc tuæ vanitatis &

fidei

fidei peccatum sit. Non minus phreneticum est mendacium somniumque tuum, quòd eodem tempore, quo Balduinus Lutetiæ habitabat, & illi commentario dabat operam, affirmas, secutum esse Cardinalem, Rhenum versus proficiscentem ad salutandum Ducem Wirtembergensem. Si ita esset, lubenter id confiterentur, neque in veritatis confesśione, inuidiæ insidias extimesceret. Sed impudens esset ambitio, si agnosceret quòd obijcis. Quid verò tu, cum tam valde eo tempore negasses Christi corpus duobus in locis vllo modo esse posse, nunc fingis, eum, qui erat Lutetiæ, esse prope Rhenum? Nimis enim longum interuallum est. Narrare potius debueras, Argentorato Sturmium & Zanchum tunc venisse ad salutandum in eo Colloquio Cardinalem. quod quidem in vestris hominibus, qua patientia tolerares, qua gratia disśimulaueris, (erat enim ea, tuo iudicio, certisśima profesśio apostasię) fortasse mirarer: sed abs vobis vel antea, vel postea impetrasse dispensationem (vt vocant) dices. Itaque cedo.

Vt in tota tua fabula sæpius, elegantia quadam poëtica, videris amasse ὕστερον πρότερον, sic & hac rursus figura vsus es, cùm

non modo cōmentarium de famosis libel- lis notare voluisti, sed & quas deinde Balduinus Lutetiæ exorsus est coniunctas prelectiones Iuris Ciuilis atque historiæ vniuersæ. Quid autem in ijs, quibus nescio an interfueris, & de quibus, si interfuisses, iudicare non poteras, reprehendere nunc velis, quas admirari fortasse magis deberes, quàm imitari posses, equidem non intelligo. Principiò confiteris te non esse earum rerum idoneum iudicem. Postea (credo, vt id verè dicere te probares) ais non modo quendam, qui Lausanæ in docenda grammatica tibi hypodidascalus fuit, sed & chalcographum tuum, in Iure ciuili posse Balduini præceptorem esse. Ne nimium commouearis Theodore. Nullus est, à quo Balduinus recuset discere. Est enim φιλομαθὴς. Quid verò librarius ille tuus, qui dum pus tuus exprimit, ius nouum suxit, præstare in hac arte posſit, optaremus, alio, quàm de suis Apostatis commentario, expreſsiſſet. Tu quidem eum melius doceres, quid sit vis, quàm quid sit ius. Et nos paulopost singulare exemplum tuæ iurisprudentiæ fideliſsimæ proferemus. Sanè si tam præclarus iuris doctor est typographus quoque tuus: tu tanto in-

to iniuſtiores, qui eum prælo mancipat, tanquam piſtrino. Quid autē, quid ſi Balduinus coquum ſuum tibi religionis magiſtrum eſſe poſſe viciſsim dicat? Si ea conſiſtit in conſcientia bona, potiuſquã in ſcientia magna, nę ille pręceptor tibi eſſe profectò poſſet. Verũ tu, in miſcendo iure lepidior coquus videris, & ebulliẽte olla fumantis & efferueſcentis iracundiæ tuæ, facetus etiam eſſe voluiſti, dum non ſolum Balduini iura cruda, recocta, rancida, dicacitate minime ſcilicet inſulſa, ſæpius appellas, ſed & eius auditores, doctiſsimos viros, miris ſannis conſpuis, deſpumans eſſe recoctos cauſidicos, rabulas, fori mãcipia. Scim' ſanè, vos iampridē incredibili quodam odio Iuriſconſultorum flagrare, neque cauſam neſcimus, cur eos, qui in eo ordine excellũt, peſſundare velitis: vt iam minus miremur, quod multi mirantur, vos etiam nuper Lugduni, Molinæum, magni nominis Iuriſperitum iam ſenem, qui veſtra cauſa pertulit tam acerba multa, in periculum capitis vocaſſe, cum fortè leuiter abs neſcio quo veſtro paradoxo diſſentire diceretur. Scimus iampridem hoc agere vos, vt Epiſcopis exterminatis, ordinē togatorum, non minus quàm Nobiliũ, euer-

tatis atque pessundetis. Verùm, mi Beza, etiámnũ dissimulare, quod tentas, debueras. Certè nescio, an tibi satis caueas consulasq́; vir cõsultissime, dũ ita insanis. Cæterùm iurisconsulti tunc tibi respondebũt, cum eorum, quę perpetrasti, facinorũ reus attonitus implorabis eorum non patrocinium, sed deprecationẽ, & pręsens statusq́; senties quale sit Iustitiæ tribunal, scopulus tuus: & quã iusti ac seueri tibi immineant iudices simul & vindices tuorum scelerũ. Interea in isto tuo antro & arçe impunitatis, quid miramur, si tu clarissimis Iuriscõsultis, ventosa & inani tua garrulitate, insultes, cum etiam amplissimos Senatores, & maximos iudices supremæ Curiæ, appellare latrones, cum istic latitas, nunc ausus sis. Nempe, vt istis togatis longè anteferres sagatos nescio quos tuos miseros Syndicos Allobrogas: quorũ collegium paulò pòst amplissimum Senatum appellas. Fateor, ô mi Minister Pręd icansq́ue, cautè fec ris si eos demum iudices semper habeas, quibus tu præscribes, quid de te pronuciari velis. Nam coram alijs male tecum ageretur. Sed si imitari volebas illum P. Sulpitium. Tribunumpl. seditiosissimum, qui Romæ habuit suum Contrasenatum, debe

ba

bat paulo ſplendidius præſidiũ cõparare. Neque verò neſcimus,cur illi foro palatino,quo nihil habet Gallia illuſtrius, tã ſis & iniquus & inimicus. Sed ne propterea Balduino tam valde infeſtus quoque ſis, cauſa nulla eſt. Nam vt tibi gratificetur, raro marmor vtrunque terit.

Vt iuriſprudentiam,ſic hiſtorica ſtudia Balduini, eadẽ dexteritate ſubſannas:neque dubium eſt,quin eundem Chalcographum tuum in ijs rurſus doctorẽ noſtrũ eſſe velis,qui nõ ſolùm Sleidanum ſæpius excudit,ſed & quandam de ſtatu vniuerſæ Eccleſiæ hiſtoriam compendioſam: quam quidem te vehementer laudare, atque admirari nunc demum intelligimus, quia cõfirmas,nullos eum libros,niſi optimos maximos,excudere. Non poſſumus diutius diſsimulare tantam indignitatem . Si qua vnquam fuit putida & inſulſa farrago vanitatis atque falſitatis,ſi qua impura ſentina fabularum atque τῆς ἀνιστορησίας, illam profectò eſſe,altiſsima voce profiteri cogimur:idque tanto magis,quòd in rebus Eccleſiaſticis multò ſit q̃ in ciuilib' periculoſior impoſtura. En cur Ioſepho ac Nicephoro preferre debueris illam veſtram nouam rapſodiam . Equidem iam etiam mi-

 rabar,

rabar, quid sit quòd nunc scribas Balduinum pati non posse, vt illi inter fabulosos scriptores numerentur: & cōtra magis atque magis confirmes, Iosephum sacerdotē rerum sacrarum valde imperitum fuisse, & negligentem profanumq; scriptorē: Nicephorū verò, superstitiosum, & Græcorū vanitati deditum. Quorsum hęc (inquam) tu nunc inculces, dubitabā. Sed postea intellexi velle te tanquam soricem tuo indicio perire, posteaquam legi, quid ea de re scripsisset Balduinus in libro de Institutione historiæ: quod quidem velim etiam relegant ij, qui huius quæstionis iudices esse volent. Ne autem quicquam historicis illius admonitionibus debere te, aut vllam ἀνιστορησίας culpam agnoscere videaris, excusas etiam quòd Caluinus scripsit Sabellium surrexisse post Arrium: tametsi inficiari non possis esse (vt vocas) μνημονικὸν ἁμάρτημα: & vt omnes intelligant nihil esse tam absurdum quod aliquo Scripturæ exemplo defendere non possis, non erubescis, notare apud Lucā de Theuda tale quippiam reperiri, ex sententia nostrorum quidem (vt ais) Catholicorū. Atqui, ô bone, ipsum tuum Caluinum ex eorum numero hac in re esse tu ipse annotasti, & alia in-

terpretatione prolata, Lucæ locum ad historiæ fidem & ordinem alium reuocasti. Et nondum confiteberis te tui oblitū iam nō curare quid dicas vel non dicas, modo causæ malæ seruias? Denique ne in historia quidem illius iudicij, quo Cæcilianus & Donatus olim cōflictati sunt, quam magister tuus minimè bona fide exposuit, & tu (vt etiam eius sputa lingere soles) eadē fide contorsisti in tuæ scilicet fidei confessione, agnoscere vis vllum peccatum vestrum. At nesciebas, ô miser, cùm ea de re scriberes, eodem tēpore hîc excudi libros Optati Mileuitani, & ad eos præfationem quandam Balduini, in qua liquidò refellitur tota illa vestra huius rei inscitia. Quia spero saltem iam abs te lectam illam præfationem esse, nihil adijcio. Nam & in ea senties alios aculeos, qui vestram pungent ἀνιστορησίαν Ecclesiasticam, qui si vos nōdum excitant satis, aut ad aliquam correctionem non reuocant, spondeo, fore, vt si in hanc arenam descendere velitis, Balduinus palàm exponat, & conuincat, vos, in compluribus alijs capitibus, eadē siue culpa, siue fraude, historias Ecclesiasticas, quibus abutimini, deprauare, & quale quantumque hoc falsi crimen sit, liquidò pate-

faciat, Interea frustra hoc agis & tentas, vt illi excutias talium literarum studia, quib. se solis consolatur in hac temporum cõfusione, & in quibus videt factum iam olim esse, quòd nunc fit, & ex quibus denique prospicit, quid tãdem sit futurum, hoc est, quis futurus sit exitus tragœdiæ vestræ.

Nunc reliquas persequamur tuas criminationes, Interea dum Balduinus, te longum valere iusso, dat operam Iurisprudentiæ simul & historiæ, Rex Nauarrus, vt se tuis calumnijs nihil moueri ostenderet, voluit filium suum naturalem, Carolum Borbonium, quem vnicè diligebat, apud Balduinum educari. Ne id quidem præterire potuisti, quin reprehenderes. Quid ita? Quia (inquis) est puer episcopus. Non est ita Mome. Non est (inquam) ille episcopus: vbi erit, tu vt vicarius, aut (vt loquuntur) suffraganeus illi sis, accerseris. Sed neque tã puer est, quin & sentiat iniuriam necis paternæ, & intelligat, quàm tu nomini & sanguini Borbonio iniuriã facere nondum desinas, & eius vltor aliquando esse posit. Interea quid est, quòd toties increpas παιδαγωγίαν, tu, qui tam famosus es, non solùm δημαγωγος, (sed etiam vt noster Iosephus tuum Apionem, cymbalum mũdi, vo

di, vocat) ὀχλαγωγός. Ventum est ad tempus belli (vt vocas) ciuilis: in quo cur tuã causam agere velis, si modo posses, magna causa est, ô Franciæ caput horum & causa malorum. Sed iam in ea quæstione nõ immorabimur, quia nihil ea ad Balduinum, qui toto bello nihil aliud fecit, quã quòd domi suæ inclusus defleuit Reipub. calamitatem. Quid enim aliud faceret? Quid in hac vrbe etiam ageretur, cùm pleps á vobis irritata fureret, ipsẽ in suburbio dolẽs audiuit. Sed nihil eorum vidit quæ narras: non magis quàm si Venetijs perpetuò fuisset. Adeò in suburbano suo secessu abditus oculos auertit. Itaque (vt vno verbo dicam) quicquid de spectaculis tragicis illi obijcis, & de te & tibi dictum esse; & ad te potius pertinere scias, vt nõ intercidat quòd temere scripsisti. Eodem tempore magister tuus Balduinũ vexauit, nõ quidem respondens legibus de famosis libellis, deque calũniatoribus (non enim audebat neque poterat in manifesto peccato deprehensus) sed spargens virulentam maledicentiæ farraginem ex plurium conuiciatorum rabie collectam atque conflatã. Huic Balduinus statim obiecit alterã suã responsionem, quam nunc demum exagi-

tas,toto pòst ſeſquianno. Cordati lectoris erit & iudicis, re & cauſa cognita, pronunciare quod æquum eſt. Sed profectò Balduinus, poſt illam ſuam reſponſionem non dubitauit vos tandē aliquando aliud quippiam certamen moturos eſſe. Interea quo modo Italiā atq; adeò Tridentum, & quo fructu profect⁹ ſit, ſuperius expoſitū tibi eſt, pluribus etiam fortaſſe verbis, quā volebas. Reuerſus, in gratiam ſcilicet tuam & tuorū, ſuū ad leges Maieſtatis atq; perduellionis Commentarium edi non recuſauit: quē, ſi nondum legiſti, legas, velim, vt plura, quæ te exerceāt, audias, & iam ex ijs nihil repetere cogar, quod alioqui fortaſſe repeterem. Et quoniam quam ſemel vitæ alienę rationē tibi reddere cœpi, pertexere debeo, de eo quòd reliquū eſt, verbum vnum addam. Reuerſus (vt dixi) Balduinus, ſcis, quid fecerit, quod tibi doleat? Iuſſu & mandato Reginæ, inuiſit Principem Condenſem, qui tūc aliqua cuſtodia tenebatur: & cum eo familiariter (quid eſt enim illo principe humanius?) eſt collocutus de aliqua ratione conciliandarum controuerſiarum religionis: de qua & rurſus cum eodem iam liberato contulit: & niſi vos obſtitiſſetis, fortaſſe fundamēta chri-

ſtianæ

ſtianæ concordiæ iacta fuiſſent. Capita priuati eius colloquij, bello etiámnũ flagrante, iuſſus etiam eſt conſcribere. Quæ occupatio fecit (nihil enim iam tibi diſsimulamus) vt ſuam ad Ducem Guyſium, ad quẽ cum literis, quas ad eum habebat, iturus alioqui ſtatim erat, inſtitutam profectionẽ diſtulerit: intereaque omnem eius deinde ſalutandi occaſionem amiſerit. Ereptus enim (tuo, tuo, ô Beza, beneficio ex hac mortali vita eſt Dux ille magnus, qui tamen paulò antè humaniſsimas ad Balduinum literas dederat. Acerbum Balduino vulnus inflixiſti, cum tui Nauarrum confoderunt. Nunc plagam alteram addidiſti, neque minorem, neque leuiorem, cum alterum illum Principem trucidaſti. Et non dum ſatiata eſt crudelitas tua? Sed aliàs audies grauiorem & noſtram & Galliæ lugentis querimoniam. Nunc, quos quærebas, habes aliquot actus & ſcęnas non fabulæ, ſed vitæ eius viri, in quo falſis obtrectationibus vexando fruſtra teipſum partim oblectas, partim vexas: vt olim Aiax μαστιγόφορος arietem pro Vlyſſe furens corripuiſſe dicitur, vt in eo cedendo & ſe oblectaret & ſuam, ſi poſſet, vel vindictę cupiditatẽ expleret, vel maniam exſa-

Caufidicos Curiæ Palatinæ,quorum artificio fieri dicis,vt mendacium pro veritate habeatur,nefcio, an plus etiam præftare te poffe confidas. Sed hic minimè potuiffe te,liquet.Quid enim?Siue ea, quę alioqui leuia &nihili funt,fiue ea,quę feria,hic tractes,nihil agis.Prima illa facti quæftio,cuius fit libellus de officio pij viri, iampridē ipfius Caffandri teftificatione,affertione, atque vindicatione:imò & Caluini,(tametfi culpam apertè non confiteatur, quia non folet,)tacita quadam confefsione,definita eft.Tu tamen ridiculè actum agis,& nihilominus,quod non credis,alijs perfuadere vis,libellum nempe effe Balduini: & vt id efficias,(quid enim non efficeret ars tua?)nefcio quas nebulas inanium coniecturarum colligis,oblitus, quod Iurifconfulti aiunt,non effe coniecturis locum in re liquida.Non effet res hæc digna, in qua immoraremur. Sed vtile eft, indomitam peruicatiam tui ingenij magis atque magis confpici. Facilius quidem perfuaferis niuem effe atram,quàm meum effe tuum, vel tuum effe meum,vbi nulla ne focietas quidem eft aut communio. Vis tamen, vt quod Balduinus probauit nullo modo effe fuum,& Caffander fuum in folidum effe pro-

ſe probant, etiámnum probare eſſe Balduini. Magna (ſcio) & admirabilis eſt tua πειθώ. Nulla enim tam obſtinata olim fuit in Gallia virgo, quàm illa nõ expugnarit, hoc eſt, cui nõ perſuaſerit, quicquid velles. Sed nobis perſuadere, quod iam vis, ne ſi ipſi quidem vellemus, núc poſſes. Interea nimis erga aduerſarium liberalis ac propè prodigus ac profuſus es. Alterũ præterea quendam libellũ, ſub Chriſtianorũ Iuriſconſultorum titulo Argentinę editũ, vno Balduino in ſolidum quoque adſcribere vis: niſi ſi captioſe id facias, vt deinde plagiarium eſſe clames, qui alienos libros pro ſuis agnoſcat: & ambitionem ei exprobres, quaſi ſe in Germania ſolum Chriſtianum Iuriſconſultum fuiſſe profiteatur.

Vbi vides in hoc diuerticulo vix te poſſe conſiſtere, confugis ad alterum. Balduinus in ſecunda ſua ad Caluinum reſponſione obiter queſierat, an veſtrũ eſſet, de hæreticis (quos quidem hæreſeos iudicatis) leges capitales ferre? vltimũ ijs ſupplicĩũ decernere? palũ defigere? rogũ incendere? Quæſierat etiam an veterum Chriſtianorum leges tã fuiſſent capitales? Quod ad priorem quæſtionem attinet, multa nõ modo ex Ambroſio & Auguſtino, ſed &

ex alijs

ex alijs minus ibi fortasse notis scriptori bus memorabilia protulit, quæ pudorem vobis (si erubescere possetis) incutere possent. Tu illa omnia vel peruulgata scilicet vel inania esse ais. Alij iudicabunt, qui vtriusque partis libellos sedato animo leget. Sed vt Balduinum intelligas præterea habere quippiam: iam tibi suggerit fuisse olim quendam Theodosium, quem longè superasti, Episcopum Synadæ ciuitatis in Phrygia Pacatiana, qui, quia Macedonianos, non solum vrbibus, sed & agris expelleret, dictus est fecisse cõtra morem Ecclesiasticum, & iudicatus est dignus, qui abdicaret. Hic fortasse trepidabis. Sed excipies, merito illũ Episcopum tibi esse ignotum, quia etiam nullam fuisse Phrygiã Pacatianam cõtendas, cum volens expũgere quandam epistolæ Paulinæ subscriptionem, scripsisti, non meminisse te vsquam hoc epithetõ legi apud idoneos auctores. Verum quod aut non legisti, aut non meministi, an nusquam propterea est? Ipse, ipse Iustinianus noster cẽties eius meminit. Itaque rectè feceris, si cùm iam secundam editionem adornes, ineptam illam tuã adnotationem expungas, vt alias sexcentas, de quarum vicio, cum voles, & erit otium,

te ad-

reũ(quod ais)propterea peragas. Tu quidem aſtutè facis,ſi tam ſuauiter elabi poſſes,nobis nõ animaduertẽtibus. Sed fraus hæc tua & ſuppoſitio, quid aliud quàm falſi crimen tuum conduplicat? Imò verò in ea ipſa altera lege, cuius vmbra nunc demum te tueri putas,recitanda,rurſus apertè falſarius es.Lex illa loquitur de paganis eorumq́ue ſacrificijs:tu paganorum mentionem expungis, & hæreticorum ſubſtituis. Qua fide?Nam multum inter eos intereſſe,& magnum eorum diſcrimen in veteribus legibus eſſe,quod & ipſe Auguſtinus notauit, non ignoras. Quinetiam illa ipſa lex poſtea quã de Paganis egit,de hęreticis deinde loquit̃ lõgè aliter, nec eos aliter puniri vult quã ex prioris illius,q̃ dixi, legis præſcripto.En quã fidelis mi Theologe nunc ſis Iuriſconſultus.Fortaſſe,quia ex obſcuro & apocrypho & obſoleto Nouellarum, quas dicis eſſe Theodoſij, cum potiùs ſint Valentiniani poſtremi, quodam libello(vt loquũtur)extrauagante,quem Alaricus Gothus collegiſſe dicitur,Iuſtinianus noſter nunquam agnouit, tu hodie primum, ſuggerente aliquo Curioſo vel Quæſitore capitali,fortè inſpexiſti; repetebas quod iam prætexis: fortaſ-

ſe putabas nos ſimplices, ſtúpidos, credū-
losq; leguleios, qui fontes nō excutimus,
non animaduerſuros capitalem tuam frau
dem, dolumque malum. Sic enim & de i-
pſius Balduini, ſolos (vt ais) indices conſu-
lentis ignorãtia, magnifice Iudex, grauiter
ſcribis. Sed tua ignorantia errorque tuus,
vir ſcientiſsime, tam te refellit, dum alios
fallere vis, vt nemo non videat incredibi-
lem tuam, inſcitiā dicam an audaciā? Quid
hic ego aduocem legem Corneliam de fal-
ſis? quid tuam in recitandis legibus fidem
exagitem? Ite nunc, Principes, & arbitrio
huius noui Legiſlatoris, inflammate taurū
Phalaridis, & miſerorum gemitum habe-
te pro mugitu. Vis tamen aliquid in gra-
tiam tuam dicam, Beza? Accuſo (ſi vis) ve-
terum legum clementiam atque lenitatē,
cùm in acta tua intueor, & propè exclamo
debuiſſe aduerſus Donatiſtas eſſe acerbio-
res. Ignoſcat nunc meæ ſeueritati Augu-
ſtinus. Si viueret, & quorundam Bezano-
rum inſolētiam videret, ſuā & ipſe ſenten
tiā de coercitione, fortè iterū exacerbaret.

Cùm ne in hoc quidē diuerticulo, com-
mode, Beza, diutius hærere poſſes, queris
aliud: in quo tam te probes theologum fi-
delem, quàm in ſuperiori acrem Iuriſcon-
ſultum

fultum esse te probasti. Deligis anté quippiã, quod ad Satanã pertineat, quia de eo lubenter loqueris, & iure familiaritatis potes. Quid verò illud est? Balduinus obiter verbo vno Caluinũ fortè admonuerat, temerè eũ negare videri, exorcistas, qui τοῦς ἐνεργουμένους liberabant, fuisse in Ecclesia veteri: neque alioqui in eam quęstionem longius ingressus erat. Sed minimè hoc esse prætereundum iudicasti. Quid igitur? Posteaquã despumasti nescio quid, quod solent ἐνεργούμενοι: exclamas, negasse caluinum non rem, sed ordinem, hoc est, sensisse olim quidem fuisse Exorcistas, sed certum eorum ordinem in Ecclesia non fuisse. Egregia scilicet defensio. Profers quædam verba Caluini; quæ sic interpretaris: Sed vt nihil agis bona fide, ea non profers; de quibus potius quęstio est. Ait Caluinus, Iudæis quidem fuisse suos exorcistas: sed Christianorum exorcistas ementitos appellat. Quid hæc verba sibi velint, exponere potius debueras. Imò verò Caluinus suę oblitus Institutionis, in Actis Apostolorũ ait, apud Iudæos fuisse quoddam Exorcistarũ munus, quod Christiani imitati sint: deinde verò Papam voluisse hoc esse commune omnibus suis clericis. Nónne hic;

Episcopos,presbyteros, diaconos, lectores, nominat Eporcistas:quos credo non negabis fuisse Exorcistas. Adde Constitutionem Valentini & Gratiani.L.vj. C. de Episcopo.& Cleric.vbi eadem est enumeratio.Vide quantum proficias tumultuando,& id,de quo non erat alioqui instituta disputatio,temere & impotenter exagitando.Interea frustra Balduinum, Cassandrum, & (vt ais) quoscunque, prouocas, veluti sponsione facta,velle te pro hæretico censeri,atque etiam (ó duram conditionem)cremari, nisi probes ex ipsis Inferis emersisse omnes illas functiones Ecclesiasticas,quæ numerantur in Romana Ecclesia.Nihil hæc quæstio mi vir ad tuum Balduinum.Cæterum si quis Inferorum Angelus ad te retulit,quod affirmas: profer, quas inde accepisti literas, testes tuæ affirmationis. Interea si tam es inferis & eorum antistitibus familiaris,cautè facis,qui exorcistas abigas alio exorcismo. Neque tamen minus propterea & eris, & diceris διάβολος,quandiu non desinis,calumniando veritati aduersari:minus vt iam cóqueraris,si aliquis te Satanam , vt tuo tam tibi iam familiari verbo vtatur, etiam honoris causa,vocet.Ipse etiã causam reddis.Audi-

 uit

pit(inquis) Satanæ nomẽ ex ipsius christi ore Petrus, cum dũtaxat immodico pręceptoris amore extra metas fuisset abreptus: & nefas erit, eum Satanam dicere, qui tam valdè imitatur eum, qui mendacij & homicidij ab initio parens magisterque fuit? Quid verò, cum proditorem illum Iudam idem Christus Diabolum vocaret, an non tuum veluti nomen nobis dictauit? Ac ne quæri posis tibi iniuriam fieri, ecce tibi auriculam vello, *& licet antestari?* En quam nos efficis eloquentes, dum nobis suggeris & dictas, quod & Theologicè & ciuiliter tibi respondeamus. Nullum finem inueniemus, si omnes istius nugatoris quisquilias excutere velimus. Sed en sese offert alterũ Bezanæ fidei atq; matheologię tropheũ. Cũ Balduinus miraretur Caluinum etiam veteres formulas stipulationũ, sponsionum, abrenunciationum in Baptismo sustulisse, ostenderat eas olim fuisse tã vsitatas in puerorum Baptismo, vt augustinus, cum non dubitaret legitimas esse, inde potissimum oppugnet Pelagianos. Quid Beza? Id non negat, quia non potest, Sed factum concedens, de iure disputat, & tales stipulationes, quæ in adultis catechumenis tolerabiles erant, nulla causa satis idonea

donea translatas esse ait ad infantium baptismum: mirumque esse, tantam fuisse Episcoporum negligentiam, vt hunc abusum ferre maluerint, quàm emẽdare. Hic igitur non cum Balduino sed cum Ecclesia veteri litigat. Imò verò secum pugnat. Nam alibi cum quendam Germaniæ concionatorem magnum vexat, laudat veteres illas formulas : *Credis? Credo. abrenuncias diabolo? abrenuncio.* & triumphat, non minus in infantum quàm Catechumenorum adultorum baptismo vsitatas fuisse. Sic bonus & ingeniosus Rhetor, vt causæ seruiat, modo aliquid laudat, modo reprehendit. Addit autem, in suæ Ecclesiæ Baptismo retineri etiámnum à quibusdã stipulationes atque sponsiones, sed alijs formulis, verbisque cõceptas. Atqui hoc rursus est, quod in vobis reprehenditur Theodore, nempe quod cum res retineatis, verba tamen mutatis cũ aliqua veteris Ecclesiæ ignominia, & aliorum fraude, qui ex verbis formulisq; nouis ęstimant res quoque nouas esse. Interea tamen in Castellionem atrocissimè inueheris, qui nihil referre dixit, quo verbo res dicatur, modo res sit eadem. Tu (inquam) tunc contrà cõtendis, verba Ecclęsiæ vsitata esse retinẽda, &

lianus in lib. de baptismo, *Perungimur* (inquir) *ex veteri disciplina.* Quid tu contra nunc obijcis? Iustinum in sua ad Antoninum Imp. apologia non meminisse huius vnctionis. Credo: sicuti nec reliquarũ ceremoniarum, de quibus tunc non quærebatur. Sed alij non minus & boni & antiqui testes meminerunt. Ipse Tertulianus in suo Apologetico, etsi de cœna Christianorum quæreretur, tamen ἀγάπην potius describit. de mysterio cœnæ nullum verbum. Non enim tunc volebat profanis hominibus exponere, quod illi fortasse irrisissent. An propterea dices Cœnam Christianorum nihil aliud fuisse quàm ἀγάπην Imo vt ex Iustino tunc repetis, quod Tertullianus præterijt, cur similiter, vbi de baptismo quæstio est, non pateris ex Tertuliano & alijs repeti, quod in Iustino desideratur? Consistimus etiámnum in quæstione facti. De hoc vbi constat, si agere velis de iure, contendas non rectè, rite religiose factum: age cum veteri Ecclesia, quã habes aduersariam, & ream facis: nos missos facito. Sic & cum de Liturgia, quam Latini nostri olim Missam vocarunt, quæris, te contineto, & scito eum, qui res integras tuetur, corruptas non tueri. Quàm velles,

les, vitia ille defenderet, vt quod declamares, haberes? Sed non impetrabis. Vis de rebus tantis tecum agi? Patere vt agatur sedate, distincte, liquidò? Rogatus erat magister tuus, vt si vellet statum causę cernere, ad ætatem Ambrosij oculos placidè reflecteret. Tu perinde tumultuaris, ac si in Acherontem præcipitatus esses. Si ad Augustini Ecclesiam reuoceris, fremis nihilominus: & à Papana defecisse iampridem te narras, valdè scilicet πρὸς ἔπος. Semel quidem tibi excidit, ipso etiam Augustino sedente iudice velle te agere causam tuam. Sed cum ad rem ventum est, tale tribunal tanquam scopulum, fugis. Quid tergiuersaris, & terrifica verba fundendo perturbas τὸ κρινόμενον? Quęritur an illam, quę fuit Ambrosij & Augustini, & Chrysostomi seculo, Ecclesiam (vtar verbo, quod ferre non potes) catholicam, statuas esse apostaticam, Satanicam, Antichristianam: aut si modestius, quàm tu loquaris, loquẽdum sit, an cum ea communicare, eius doctrinam sequi, & ceremonijs formulisque vti liceat. Dic apertè, quid sentias. Non audes: quia si de ea confitearis, quod cogitas deploratam tuã impietatem prodes: sin eã Christi Ecclesiam veram agnoscas, non mi-

nus

nus infanum apoſtatam te eſſe probabis. Quid igitur? Incurris vlulās in Papas poſteriores, & in eos euomis, quicquid in illā, ſi auderes, velles. Atqui neque ijs, vt auctoribus, acceptum ferre potes, quod eſt in quæſtione, neque de ijs, quod deſpumans perpetuò crepas, fuit inſtitura diſputatio. Cùm de antiquitate rerum cõtrouerſarū, deque eius antiquitatis iure quæreretur: longè altiùs ad inquirendam originē cauſa reuocata eſt. Cur non audes eo nobiſcū oculos attollere? De poſteritatis abuſu poſtea viderimus. De primo rectoq; vſu prius inter nos conſtet. Tu iam, vt ſtatim & breuiter totam (cuius obliuiſci nō potes) Miſſam conficias, obijcis neſcio quam malè ſubactam maſſam confuſę & crudæ maledicentiæ. Tu eam, ſi potes, concoque, atq; etiam, ſi vis, in tuo ſacrificio, profano more, molam ſalſam offer. Quid hæc tandem ad nos? Et quí poſſet his de rebus ſeriò & grauiter tecum agi, quamdiu ſic agis? Et quomodo tam permixtæ perturbatæque ſatyrę tuę reſpondere poſſemus, cum nihil diſcernas, nihil diſtinguas: neq; quam partem potiſsimum petas, indices? Imo verò, quicquid dixerimus, vel aſtutè miſcebis, vel ocioſe detorquebis. Adeò nulla eſt ingenui-

gnes: Sed si quid haberes, Theodore, non iam dico frontis, qua iampridem cares, sed saltem mẽtis, nunquam profectò renouares memoriã huius certaminis, in quo hactenus tam indignè versatus es. Age, mecũ recordare, quisnam primum in Germania fuerit triumphus tuus. Tu cum Electorẽ Palatinum Otthonem Henricũ, qui accerrimè obstabat vestris insidijs, primum tentare velles, venisti ad eum, quo tempore in thermis erat, & vt ei illuderes, magna cum simulatione nouæ pietatis, obtulisti cõfessionem, quam dicebas non modo tuorum Allobrogum, sed & Heluetiorum esse. In ea tam tuo quàm eorum nomine profitebaris, collecta verborum ἐμφατικωττάτων quæ Germanis grata esse putabas, cõgerie, vos in hoc sacramento credere, verum & reale & substantiale corpus & sanguinem Christi verè, realiter, substantialiter (& quid non) adesse & sumi, offerriq́ue etiam tam indignis quam dignis. Denique ita loquebaris, vt ipsum in hoc genere Lutherũ superare videreris. Qui aderant, obstupuerant vos tam repẽte ex Zuinglianis factos esse (sic enim putabant & loquebantur) plusquam Lutheranos. Aderat ipse Marpachius Argentinensis concionator, qui

quia

quia veſtras ſtrophas magis nouerat,ſuſpi-
cabatur dolum aliquem ſubtilem ſubeſſe.
Sed noluerunt viri boni moroſiusinqui-
rere,an,ſicuti loquebamini, ita ſentiretis;
Amplectuntur ergo tuam illam confeſsio-
nem,deque ea triumphant & Chriſto gra-
tias agunt: & communis gratulationis er-
gò mittunt eam Duci Vvirtembergenſi.
Hic veſtram conuerſionem nón minùs ad
miratus eſt,laudauitque. Cùm autem audi
rent Tigurini ptopterea de ſe in Germá-
nia triumphari, noluerunt tuam impoſtú-
ram tolerare. Itaque non modo non agno
uerunt confeſsionem, quam eorum quo-
que nomine obtuleras: ſed & acerrimè
oppugnarent: teque,qui eorum mandatũ
ementitus eras, nó modo falſi reum pera-
gunt, ſed & παραπρεσβείας. Tu quidem
vt eos placares,ſcilicet allegabas dolum a-
liquando bonum eſſe,aliud agere & aliud
ſimulare. Sed illi nondum hanc artem ve-
ſtram didicerant. Ergo cum ijs aliter re-
conciliari non potuiſti,quam confeſsione
tui peccati, & (quæ tibi ignominioſa pro-
fectò fuit) exomologeſi. Hæc prima fuit
in hoc myſterio tractando religio fideſq;
tua. Paulò pòſt domum reuerſus, vt ma-
gis oſtéderes te anteà Germanis illuſiſſe,
Ioachi-

Ioachinum Hamburgenſem concionato-rem,quem omnes(vt vocāt)Saxonicæ Ec-cleſiæ & ſexcenti earum miniſtri, quos cal uinus iudices appellarat, acerrimè defen-debāt in hac quæſtione,tu(vt Caluino ſuc-cēturieris)apertè oppugnas,& palàm pro-fiteris aliam in cœna Domini non eſſe cor poris & ſanguinis Domini communica-tionem, quàm in baptiſmo, in concione, in lectione ſacrę ſcripturę,& deinde in pri uata meditatione, quoties mens fidelis ad Chriſtum aſſurgit. Nunquam non modo Caluinus,ſed ne Zuinglius quidem tā vul gariter de hoc myſterio locutus erat. Sed tu tuam audaciam vis eminere.Paulò pòſt Tilemannus Heshuſius, quo tempore Pa-latini concionator erat, ſcripſit aduerſus Caluinum hac de re libellum. Tu qui no-minatus tamen non eras, mox inſurgis, & ſcurrilib9 Dialogis eū proſcindis.Quadru plex erat libelli tui inſcriptio: *κρεωφαγία, Cyclops, Onos, Sophiſta.* Metuebas enim,ne nō ſtatim omnes intelligerēt,quàm religioſè ageres de hoc myſterio.Ibi ergo non mo-do inaudita ſcurrilitate, neſcio quē aſinū molitoris, Apuleano ludo, fuſtibus cedis, ſed & quaſi apud anthropophagos Cani-bales educatus eſſe,deſpumans crepas ſar-

tibi audientia. Tum verò exclamaſti, tam diſtare corpus Chriſti ab Euchariſtia, quã cœlum à terra. Multis frementibus (quorum ſibilus te propè exanimatum repente perculit) quidam ex tuis quondam ſodalibus ſubridens inſuſurrauit: An crederet in Euchariſtia eſſe CHRISTI corpus, qui vix in cœlo credit vllum eſſe Deum? Princeps Cardinalis, cum vt tibi reſpõderet mandatũ accepiſſet, multa de re ſacramentaria, dixit, quæ ad te refellendũ pertinere putabat. Aliquot poſt diebus in Collatione rogaris, ecquid velis. ac ne rurſus fingeres. vos cum Proteſtantibus conuenire, prolatum eſt quod ex Germania miſſum erat, recens ſcriptum, quod talem laruam vobis detraheret. Petijſti tempus ad deliberandum. Data eſt tibi, vt commodius deliberares, breuiſsima formula, vt ex tempore tunc conſcripta fuit abs illo Cardinali. Aliquot pòſt diebus, priuatim exhibes, quam cum tuo Saulo ex Anglia aduecto, conſignare paratus ſis, formulam, quæ proximè (vt videbatur) accedebat ad alteram: & ab epiſcopis ipſis tolerari poſſe videbatur. Adeo liberaliter ingeminabat hæc, *Verè, realiter, ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia.* Reditur

die condicto ad collationem, vt de formula vtraque agatur. Tum verò ex scripto (nam memoriam conscientia mala perturbabat) recitas lōgè aliam protestationem, atque adeo deprecationem, ne in hanc disputationem descendere cogaris, adijcisque, malle te, hac de re audiri veterum Ecclesiæ doctorum orationem quàm tuam, & interea, vt terreas auditoriū, quod erat amplissimum atque nobilissimum, impudentissimè iactas, te in eo stare, nomine Heluetiorum, Germanorum, Polonorum, &c. quamuis non nescires in eo ipso conuentu recitatas esse literas ex Germania missas, quæ te refellerent, & præsens ex altera parte adesset Petrus Martyr tuus assessor, qui palam tibi reclamabat, cum simpliciter defenderet Tigurinorum dogma. Denique expectare te dicebas, vt erudiaris ex sententia Ecclesiasticorum Doctorum, qui floruerunt vsque ad sexcentesimum Christi annum. Allata erant volumina plusquam quinquaginta, & notati in ijs loci, vt quærendi labor abesset. Sed longè aliud quærere te apparuit, cum astuta recriminatione, vsus, auditorium traduxisti ad aliam altercationem, tametsi cum id ironicè ageres, imprudens incurreris in

eum,

eum, qui te ita excepit, vt pedem referres. Certè tunc eum præsentem tam reuerenter deinde es allocutus, quàm nunc absentē petulanter proscindis: & quidē magna simulatione nouæ modestiæ, obstipo capite, demissis auriculis, oculis in terram defixis, tremula voce ꝓtestatus es, nolle te perturbare Concordata inter Papam & Regē &c. Redeo ad tuam disputationem sacramentariam: quam tu rursus postea aggressus, ecquid in altera magis priuata collatiōe miscueris, liquet ex epistola ei⁹ Theologi magni, qui te potissimum exercebat. quæ epistola edita est, vt etiā refelleret falsitatem Actorū à vestris editorum. Quid enim agitis bona fide? Prætereo reliquos tuos ludos, variasque strophas & antistrophas: sed quis nō exhorrescat tragicā catastrophem, cū tādem effecisti, vt tua illa cœna esset cœna Lapitharū. Ergo nunc triūphās, & quasi rebus hactenus præclarè gestis, prouocas Balduinum ad hoc certamē: & quia obiter scripsit sese tale tantumque mysterium non exinanire: magni autem facere perpetuam veteris Ecclesiæ sententiam: exclamas, eum iam transijsse ad metusiastas. Nescio an tali verbo veteres orthodoxos irridēs notare velis, vt olim eos

Arriani vocabant Homusianos : Sed profectò vel si cum hoc vno Iurisconsulto tibi res esset:neque maior victoria,neque offensi minor esset tua,quàm hactenus fuit, cum es congressus cum Theologis:& fortassè audires aliquid, quod acrius retunderet hac tuam effrenatam, siue proteruiam, siue procacitatem neque non aliquando dies fortasse veniet, quo & hac plagam accipies. Interea hoc tibi quoque respondemus,cum Balduinum lacessis & prouocas ad disputationem περὶ ἀναγκης, siue de prædestinatione : in qua quæstione sudabis,vt nobis exponas,quænam fuerit olim illa Prædestinatorum hæresis, quam fuisse tempore Honorij Imper. narrat Sigibertus Gallus historicus bonæ fidei: & laborabis, vt explices tuam dictionem,qua adeludendum vteris, scribens, (Deum quidem velle & facere omnia quæ fiunt, non tamen ita,vt fiunt. Atqui eo inuito ita fieri,dicere nolles:& permittẽtis verbum repudias. Interea nihil quicquam impudentius dici aut fingi potest, quàm quod iam contendis, hac tota in re,Philippum idem quod vos,&vos idem quod Philippus,sentire. Nam etsi non nisi postremis eius libris & sententijs standum esse dicas, tamẽ

quod

quod poſtremò ad Articulos Bauaricos ſcripſit, an cum doctrina in hoc genere veſtra planè conſentit? Quid de hac quæſtione obiter annotarit Balduinus ad Mincicium, non ignoras. Nunc nihil addit. Sed cum ſciret vos diſputando nihil aliud efficere velle, quàm olim Arriani: non temere nuper vobis oppoſuit illā veterū Chriſtianorum Principū legem, quæ curioſas, audaces, infinitas, publicas priuatorum hominū de myſterijs diſputationes, & de talibus rebus rectè iudicatis nouos atque irreligioſas contentiones, ex quibus tātum malorum redundauit, inhibet. Beza, natus ſcilicet ad diſputandum non minus quam ad bellādum, propterea exclamat, illum iā ad eos tranſijſſe, qui Chriſtianam religionem transformarunt in Cereris myſteria. Atqui lex illa eſt non modo Theodoſii atque Martiani, ſed & Concilij Calchedonenſis: & quidem ſanctiſsimis cauſis & iuſtiſsimis rationibus cōmunita, quas & magis atque magis poſteriorum temporū exitus comprobauit. Adderem quod nō modo Nazianzenus, ſed ipſe imprimis Auguſtinus ſcribit epiſt. cxj. cxxj. & in Enchirid. ca. lix. & lib. II. de peccat. remiſſ. c. vlti. & li. II. de ciuit. Dei. c. j. Sed mox inſurget

Eleusini⁹noster sacerdos,&talia dici finget de suis initijs,quibus propè est vt cóparet religioné Christianorũ.En cum quo mystagogo nobis futura res sit,si cũ isto Diagora sit certandũ. Quid plures horas perderem in hoc tam lubrico serpēte comprimendo? Etsi deprehensus teneatur,arctissimeque constringatur, tamen sibilabit, ac sinuosos gyros implicans,sese euoluet, vt elabatur:& simul incãtando probabit nos ipsos teneri, & quicquid tandem dixerimus,non solum eludet, sed etiam auertet.

Nam & mirabilis est eius (vt dixi) πειθώ. Docuit Lausanę multis annis Rhetoricam coniunctam cum poësi Græcorum. Etsi illinc turpiter atque ignominiose pulsus sit,quia scilicet suorum Bernésium mores, quos tot annis pertulerat,per suam conscientiam ferre non potuit: tamē factus propterea præco Geneuēsium,illam versutiæ scientiã callet & exercet magis quàm vnquam. Deus male perdat artem perditissimorum Sophistarum. Nunquam antea satis intellexeram,quod de ea Plato scripsit. Audieram puer aliquando illud in Schola ex Comœdia, Nihil tam bene dici potest,quin male interpretando posit deprauarier. At nunc nobis res est cum deprauas

tissimo

tiſsimo interprete & maledicentiſsimo calumniatore, qui nullum non verbum miro artificio captat, vt corrumpat. Quot in eius inuectiua declamatione periodi ſunt, tot ſunt exempla & figuræ huius artis. Et nōdum confitebitur ſeſe ex theologia nō modo efficere technologiam, vt illic olim Aetius hæreſiarcha, ſed & malicioſam matæologiam? Cum Balduinus videret tanto hos faſtu inflatos criſtas cum ſupercilio attollere propter gloriam ſuarum ſcriptionum, admonuit Caluinū, nihil eſſe cur de ſuo ingenio tantopere glorietur alijſque tam ſuperbè inſultet, cum nihil fecerit ingenioſius, quàm quod commentarios Buceri vel Oecolampadij interpolarit. Theodorus propterea exclamat iniuriam fieri Deo & Apoſtolis, quia non ijs, ſed nouis hominibus accepto feratur doctrina religionis: & interea aduerſarium confiteri, non modò Heluetiam, ſed Germaniam totam ſubſcribere doctrinæ Caluinianæ. Et quiſquam negabit admirabilem Dialecticū eſſe Bezam? Et miramur interea, ſi Balduinus, ne diutius cum ingenijs conflictetur eiuſmodi, facere malit, quod eū poſtremo mones Theodore. Mones, vt Spartam, quam nactus eſt, exornet, potius quàm cū

hominibus,tam,vt ais,rixosis & seditiosis, hoc est, vt ipsemet interpretaris, vobiscũ frustra contendat. Itaque per Balduinum licet,vt in ista palestra,tanquam Dares,so lus gloriose te & brachia tua ostentes. Nã & dum furiosè declamas, & mentiendo te fatigas,placidè ille in bona conscientia acquiescit, & ad Deum conuersus illud ex Psalmo ingeminat, *Illi maledicent, tu autem Domine benedices.* Age ergo discursa, tumultuare,vociferare: & flectere si nequeas superos,Acheronta moueto: ille quietus ex pectabit,vt (quod ais) pijs & doctis scriptoribus, qui tuorum actorum historiam colligunt,nouum argumẽtum prębeas ad eam quoque historiã locupletandã,quam de horrendis Dei iudicijs cõscribunt. Nõ enim dubitamus,quin in te aliquando De us editurus sit terribile exemplũ suæ vltio nis,quo totus orbis attonitus erudiatur. Interea nihil est,quod tibi nõ liceat. Frue re vsura modici temporis:ac, si infamis & familiaris nescio quis tuus morbus,nondũ tuum planè fregerit latus,& raucedo, nõdum faucibus occupatis vocẽ intercepe rit tuam,declama,quãtum voles,valesque, & potes,præsertim in apostatas, qui nulla de re magis sibi gratulantur, quàm quod tuam

tuam factionem, opprobriũ nominis Christiani tempestiuè fugerint. Exclamas, *etiã si quibusuis Iudæis vel Paganis deteriores essemus, & tam crudeles, immanesque essemus, quàm tu esse vis, an tu apostata esse desines?* Sed si qui ꝑpterea à vobis deficit, est apostata, quid superest, quàm vt omnes intelligãt vos etiam hoc nomine incessere illam ἀποστασίαν ἀπὸ Νέρωνος, cuius meminit Plutarchus, & ipse in altera sua responsione Balduinus? Ergo quandiu ita agis, nihil aliud efficies apud homines cordatos, quã quod insanabilem ijs morbum animi tui magis atque magis patefacies: vt si minus quidã hactenus te norint, iam videant esse te, qui es. quanquam ita iam tu teipsum omnibus prodideris, vt pauciores deinceps deceptu rus sis. Itaque & quotidie hic audimus primarios Galliæ Nobiles, qui te aliquando, cum non nossent, fortasse secuti sunt, nũc detestari tuos impurissimos mores, ingenium turbulẽtum, ambitionem irrequietam, sanguinariam crudelitatem, insanam maledicentiam, arrogantiam intolerabilẽ, versutiam incredibilem, & nocendi cupiditatem insatiabilem. Ergo valdè erras, cũ eos, quibus aliquando fortè imposuisti, nimium hebetes etiámnũ, & cæcos esse exi-

ſtimans, iactas patronos & defenſores, & Mecænates eſſe tuos. Spero equidem breui fore, vt & ipſe ſentias eos potius eſſe ſeueriſsimos iudices atque vltores tuæ improbitatis. Non deſinent & optare & amare res bonas: vt qui abs te diſceſſerunt, eas & amant, & optant magis atque magis. Sed cũ ſub earũ vmbra & inani titulo nequitiam tuam & fraudem celare vis, ſcito diuti' id paſſuros nõ eſſe viros bonos, qui te norunt.

Itaque etſi credulam aliquam multitudinem alias ob cauſas fortaſſe irritatam atque offenſam infatuaueris, multosq; veſanos incantaris, tamen vbi ad ſe redierint, qui ad te præcipiti quadã vertigine & vanitate adacti trãſierunt, ſenties, quàm eos pudebit ſuæ leuitatis atq; cęcitatis. Nunc cũ ijs illudẽdo verba dare impune potes, per nos quidẽ certè licet, vt coaxes, crocites, grunnias, mugias, hinnias, gannias, barrias, rudas, fremas, frẽdas, latres, vlules: & quaſcunq; voles belluas tuo rictu & gutture ſuperes. Nos contenti nunc erimus ea reſponſione, quam primæ pagellæ caninæ tuæ declamationis, præfixiſti, vt magiſtri tui, tanquam phonaſci noſtri, proêmijs noſtram infantiam adiuuares, & alio compa-

randæ

[illegible]ndæ responsionis labore subleuares. Neque verò miramur, te poëticas Metamorphoseωn fabulas, quibus cerebrũ tuũ tua Circe refersit, suggessisse magistro reformationis. Sed incautè fecisti, quod qualis vestra non reformatio, sed transformatio sit, per imprudentem tuũ ὑποφήτην statim indicari non senseris, dictantem non tibi, sed nobis, quod responderemus. Hecũbã (inquit ille) fingunt poëtæ, quum Troia euersa passim maledicta in hostes ingerendo, intemperanter dolori indulgeret, tandem fuisse in canẽ conuersam: nẽpe quòd immodicus ille conuiciandi impetus nihilo pluris, quàm canis rictus, fieret. Si hoc de nobilissima Regina dictum fuit, quàm si tot tamque acerbæ clades in rabiem adigerent, aliqua tamen excusatione dignus erat muliebris luctus: quid de homine nihili dicendum, qui cæco magis furore quã iracundia percitus non tantum in obuios quosque probra temere conficta euomit, sed optimos cupidè appetit, quibus proteruè maledicat? Sic nos tibi respondere (credo) voluisti pro tuo candidato candore Theodore: & talia sunt pleraque vestra, vt à vobis non in alios, sed in vosipsos scripta, & nobis in vos dictata esse videantur:

quod

quod diuini iudicij genus in Donatistis olim etiam Optatus & Augustinus agnouerunt. Itaq; retortis in vos vestris conuicijs nihil aliud addam, quam quod Augustinus ad Parmenianũ Donatistam, Quæ (inquit) tandem vis, nisi cęcitas & vanitas animi, cogit hominem, clausis (vt dicitur) oculis, in alterum iacere, quod in eum, qui iecerit, continuo redeat, eumq́ue ictu reciproco affligat, intacto illo. Sic ille. Nunc cogita, si per tuam efferatam maniam potes Thdodore, quid dicere posſimus, cum ipse, ipse Bucerus (cuius dicta pro oraculis habes) Caluinum iam olim appellarit non modo canem, sed etiam rabidum canem: idq́ue ipsius Caluini manu cõsignatum etiámnum teneamus? Quid ille vester nunc diceret, si in quam postremo rabiẽ degeneraſtis, hodie videret? Delectat nihil ominus vos vestra canina facundia. Sed quoties ingeminas istud *Quid latras?* saltem cogita vetus responsum, *Quia furem video*. Atque vtinam, ô Cerbere, plures essent canes, qui suo latratu vestra sacrilegia terrerent. Ais eum, quem impetis & proscindis, latrare posse, mordere nõn posse. Cur igitur tu tam mordax & aculeate & dentate Satyirice, hominem tam edentulum, & obtusum,

tusum,& imbellem reformidare videris? Vel cur Cerberæus molossus agnũ bidentem & mutum,vel ouiculam balantẽ procul lacessere dignatur? Cur nõ potiùs prouocas & excitas & irritas quosdam nimiũ tibi blãdos Melitæos,qui apud Iesaiam dicuntur canes muti. An quia horum silentio beat' es? An quia foues Cynalopecas? Neque tamẽ temerè infelicis Hecubę meministi,quæ quia Polymnestoris sicarij tyrannidem,vt potuit,vlta est, lapidibus indignè obruta est. Vos nempe vlulatum miserorum vestram immanitatem deplorantium, simili feritate comprimere velletis. Sed qui non modo Canes, sed etiã Tigres vocare alios soletis, videte, ne domi alatis catulos,quales ex Tigre & cane, tertio coitu,nasci aiunt. Cæterùm, mirificè poëta, cum tuas metamorphoses reuolueres, cur illius pueri,qui in Stellionem, vel Cerambi,qui in Scarabeum,vel Ascalaphi, qui in Bubonem,vel Lyciorum, qui in ranas,memoria tuam Circen nõ recreasti, vt vestrã transformationem lubentius perpoliret? Cur non saltem illius vestri Lycaonis Arcadis, qui cum puerum immolasset, & humanum cruorem sparsisset,mox in Lupum cõuersus esse dicitur? Deus Bone, ad

quæ

quæ monſtra deſcendendum eſt, cum iſtis renatis angelis eſt reſpondendũ? Sed quid aliud audire debent, qui homines humanos, ingenuos, literatos, Chriſtianos, ex ſuo ingenio ferino ęſtimãt, & pro Cynocephalis habẽt? Cùm humaniſsimè & modeſtiſsimè reſponſum ijs fuit, clamant caninum eſſe latratum: vt & nunc Theodore Crocodilum tuum flebiliter ſcilicet eiulantem, ſibi reſpõſum eſſe paulò acerbius quam putabat, initio proponis, quaſi tam aridas minaceſque lachrymas, extra veſtra pomeria irrideri neſcias? & interea ex illius rurſus dictatis poſſe repeti, quod iterũ audiat. Meminiſti, quid in hominẽ, multo quam ſit ille, vel tuipſe ſis, Euãgelij vocaliorem præconem ſcripſerit. Hoc illud eſt, quod nunc quærulus conuiciator meliori iure debet reſor bere, vt veſtris demũ vos verbis cõſtringi denuò ſentiatis. Quaſi verò (inquit) qui omnia humanitatis iura euertit, & data opera viſus eſt æquitati & modeſtię bellum indicere, ſibi nõ pręciderit omnem expoſtulãdi rationem. Cur non potius attẽdit ad cæleſtis magiſtri ſententiã, Qua menſura vſi fueritis erga alios, eadem rependetur vobis? Ac ſi toto vitæ curſu, nihil pręter anathemata didicerit, ſingu-

ſingulis propè verſibus in nos fulminat, & quum eum deficiant rationes, clamando & conuitiando, optimam cauſam obruit. Imò, ſicuti in comœdijs ſeruos nequã ad omnia turbanda impellit deſperatio, ita hic ſuis clamoribus, lucem tenebris permiſcet. Hanc ego inſaniam cur non ſuo nomine notarẽ? Imò quia cum duro & pręfracto capite negotium erat, cur non liceret malum nodum duro cuneo retundere? Niſi fortè nouo quopiã priuilegio ſacro ſanctum ſe eſſe demonſtret, vt proteruè omnibus maledicendo, verbum aſperum nõ audiat. Hæc ſcilicet cauſa eſt, cur ambo iſti cenſores librum meum eſſe ſpinoſum & virulentum pronuncient, &c.

Ego verò tã indignè læſus, non iracundiæ feruore, ſicuti falſo exiſtimat, ſed cohibendæ ferociæ, qua nimium exultabat, ſtudio, acrius paulò quàm optarem, remediũ adhibui. Atque vtinam dolore punctus fuiſſet ad pœnitentiam. Sed quando tantum exacerbatus, nihil de peruicacia remiſit, imò in ea magis ac magis obduruit, altero fructu me conſolor (quod alij intelligent, quàm inſipidè errori ſuo contra claram lucem patrocinatus fuerit. Interim ſi animum meum, ipſe odio excęcatus, perſpice-

petunt,causentur se non mulceri: ita delicatulus hic homo,plusquã atrociter alios proscindens non agi fraternè secum, magni criminis loco censet.

Non possunt patientissime Theodore, hæc te respõsa offendere. Nõ enim nostra sunt,sed magistri tui verba,nobis iam veluti prĕeundis in cõcipienda exceptione: Male autem in eum esse retorta, qui negare potes? Credo equidẽ iam te & satiatũ & fatigatũ esse,non minus quã me,cũ refello maledicã futilitatẽ,qua miseros lectores obtũdis. Quid igitur superest? Tu subinde Balduinũ lacessens occinis illud tuum, *Dic de tribus capellis*. Sed hoc illud est, quod tibi occini iampridẽ cupio: vt de re primũ proposita,ex qua percipi aliquid vtilitatis possit,dicas,hoc est,de scriptura, deq; traditiõe. Hęc eñ sunt capita,in quib' prima contestatio versata est. Ergo relinque tua diuerticula fugitiue,& tandẽ aliquãdo ad principalẽ quæstionẽ,quę huius cõtentionis origo fuit,redi,vt de re aliqua magna seriò & sedatè quęrat̃. En,ne diutius tergiuerseris,ad te refertur ipsius Georgij libellus cũ sua defensiõe, si fortasse felicius ex hac disputatiõe eluctari potes, quã herus cliensq; tuus. Transigito ergo cum Geor-

gio, priusquam Balduinũ impetas, vt hæc
liis iusto ordine peragatur: & cum iam duo
bus annis meditari potueris quod diceres,
tandem aliquãdo effundito quod collige-
re intereà potuisti: ea tamẽ conditione, vt
si rursus nebulas tãtum offundas, expectes
acriorem refutationẽ. Meminimus, te ante
biennium in aula coram principibus, ma-
gna simulatione grauitatis, quædã miscu-
isse de illis tribus capitibus, quo tẽpore alla
tus ex Germania fuit ille libellus Georgij.
Sed si prætereà nihil habes, quod dicas, ni-
hil egisti. Vexabat eodem tempore eundẽ
libellum calumniosa castigatiõe magister
tuus, ex cuius dictatis repetebas, quod ea-
dem de re garriendo iactabas. Ergo quod
redditũ illi responsum nunc leges, tibi re-
sponsum esse scito, aliquãdo vt te pudeat,
nihil hactenus replicare te potuisse. Ad cõ
uitia tua responsionem, quàm iam legisti,
quia diutius tibi debere nõ potuimus, pau
cis postquam huc permanauit tuus in Bal-
duinum effusus furor, diebus statim reddi
tã tibi esse scito cũ reliquo munere, quod
ad te mitto, vt rursus non expectes nundi-
nas, si quid habes, quod venditare velis. In
tereà vale, si potes, vir optime. Ex vrbe Pa-
risiorum, Cal. Nouemb. M. D. LXIII.

EX

EX FR. BALDVINI COMMENTARIIS RERVM ECCLEsiasticarum.



De quibusdam & dogmatibus & ritibus Ecclesiæ nunc quæstio est. Est tamen (si res rectè æstimetur) potius quæstio facti, quàm iuris. Quæritur, an hoc aut illud Apostoli docuerint uel mandarint. Hoc ubi constat, non dubium est id esse bonum, iustum, pium, religiosum: proptereaq́ credendum & faciendum esse.

Constat in causa religionis, Deum, cuius ueluti causa agitur, Iudicem esse debere: quia & quod uult, credendum sit, & is sit colendus eo modo, quo uult. I.

Hanc DEI uoluntatem, hocq́; iudicium, ex eius uerbo, quo suam sententiam exposuit, rectè repeti. II.

Eius uerbi præcones & testes, ut Prophetas, sic & Apostolos potißimum fuisse. III.

Eos, cum Ecclesiam Christi collegerunt & erudierunt, fideliter illi annunciasse et exposuisse, quicquid DEVS ijs mandarat, & cuius cognitio erat necessaria ad hominum salutem. IIII.

Præcipuos ex Apostolis summa & præcipua capita V.

capita huius suæ prædicationis breuiter & sparsim complexos esse epistolis ad uarios scriptis, ut occasio fortè ferebat, & res postulabat.

VI. Scripta, quæ noui fœderis esse dicuntur, cum illis, quæ dicuntur esse ueteris testamenti, post Apostolos collecta esse, & in unum corpus coacta, & ueluti consignata testimonio Ecclesiæ Christianæ, edito etiam quodam eorum indice & catalogo, quem Canonem uocant.

VII. Sed & Apostolos ad conseruationem illius suæ uiuæ & integræ doctrinæ, superstitem reliquisse aliquam Ecclesiam, testem fidelem & memorem, si fortè de intelligentia eorum scriptorum obscurior & subtilior aliqua quæstio esset.

VIII. Quod eo modo in Ecclesia traditum & testatum explicatumq; fuit, fuisse etiam plerunq; deinde cōsignatum eiusdem Ecclesiæ monumentis: eáque propterea rectè consuli, ut illi religiosæ antiquitati, si non ut auctori alicuius suæ opinionis et doctrinæ, at saltem ut testi alienæ, hoc est, Apostolicæ sententiæ, fidem habeamus.

IX. Hæretici, qui iam inde ab initio Ecclesiam oppugnarunt, aut omnino negarunt ueram esse scripturā, quam Ecclesia proferebat, aut subtilius negarūt eius scripturæ eam esse intilligentiam, quam Ecclesia defendebat. Sed in utroq; genere refutati & repreßi etiam sunt testimonijs Antiquitatis.

Ergo

Ergo quos testes cōsulimus, cum quæritur, quænam sit illa scriptura sancta: eosdem etiam audimus, cum quæritur, quænam eius scripturæ sententia sit, præsertim in re dubia et obscurioribus mysteriorum arcanis. X.

Sic existimamus coniunctim rectè retineri & defendi dictum, scriptúmue, & utriusq; sensum: sicuti & in causis ciuilibus leges aiunt τὸ ῥητὸν καὶ τὴν διάνοιαν *obseruari debere.* XI.

Quod ad ritus attinet, constat Apostolos multa (ut fit) & instituisse & obseruasse, quæ pertinebant ad formandam regendamq; Ecclesiam: de, quibus tamen ipsi tunc nihil fortè scripserunt, quia de ijs non quærebatur, & ea erant usu recepta, neq; erant alioqui controuersa. XII.

Constat tamen eorum quoq; rituum testimonia multa & uera & legitima superesse non modo in usu, sed & in ueteris Ecclesiæ monumētis, quæ supersunt: tametsi pleraq; interciderint. XIII.

Porrò tres in hoc genere sunt ueluti regulæ Augustini, quæ definire possunt, quod potißimum quæritur hoc tempore.

Prima est hæc: Si (inquit) diuinæ scripturæ auctoritas præscribit quid sit faciendum, non est dubitandum quin ita facere debeamus, ut legimus. XIIII.

Secunda est: Similiter si quid tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, XV.

disputare insolentissimæ insaniæ est. Et illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi uel ab ipsis Apostolis uel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.

Lib. 4. de bapt. c. 24. Hucq; etiam pertinet, quod de baptismo paruulorum loquens ait, *Quòd vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

De gen. ad lit. lib. 10. ca. 23. Item alibi, ut probet consuetudinem Ecclesiæ in baptisandis paruulis esse Apostolicam traditionem, ait, *Habet enim & illa prima ætas magnum testimonium pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.*

Lib. 4. de bapt. ca. 6. Idem loquens de consuetudine non rebaptizandi baptisatos ab hæreticis, *Illa (inquit) consuetudo quam etiam tunc homines sursum versus inspicientes non videbant abs posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.*

Lib. 5. de bapt. c. 23. Idem in eadem quæstione, *Sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Idem

Idem in eodem argumento, *Quamuis de scripturis Canonicis non proferatur exemplum, tamẽ earũ etiã scripturarum à nobis tenetur ueritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ: quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas.* Lib. I. contra Cresc. ca. 33

Tertia regula est: *In his quæ variè per diuersa loca obseruantur, vna saluberrima regula retinenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando vel imitando sectemur.* XVI. Epist. 119

Fatemur has regulas Augustini uerbis conceptas, simpliciter & bona fide accipiendas intelligendasq; esse ex sententia sui auctoris, ut ijs rectè utamur, sine dolo, sine fraude, sine calumnia. XVII.



VM ante biennium ex Germania in Galliam postremò reuersus essem, & certis de causis in aulam uocatus fortè incidissem in conuentum non Episcoporũ modo, sed & quorundam (ut uocantur) Ministrorum, qui Caluini partes sequuntur, de Ecclesiasticis huius temporis controuersijs tractãtium, nihil magis præter opinionem accidit, quàm, quod Ministri illi, duce Beza, aduersus Episcopos disputabant, eodem tempore Caluinum aduersus me illud ipsum disputare edita terribili declamatione, qua uexabat non meum, sed alienum quendam libellum De officio pij uiri, quem meum tamen esse fingebat. Ego uerò ita me continui, ut quemadmodum cũ Beza, cui tunc alij respondebant, cum quibus erat ille commissus, agendum mihi nõ esse iudicabam, sic Caluino ea de re non responderem, cui non dubitabam responsurum esse ipsius libelli auctorem. Et meum magis esse uidebatur, de iure ciuili respondere, quam talibus me quæstionibus implicare. Interea tamen facere non potui, quin, quibusdam, quæ mea sententia esset, rogantibus, eam breuiter & priuatim & familiariter exponerem inclusam ijs, quæ superius recitaui, capitibus. Et memini uisa mihi iam tum fuisse prope inania, quæ contrà obijciebantur, siue legerem quod Caluinus contrà scribebat, siue audirem

rem quod Beza contrà dicebat,

Prima in hoc genere controuersia est de Canone, ut uocatur, Scripturæ: de quo nisi si constet, quid hic tandem agi potest? Cum autem de eo quæritur, etiam de Traditione quæritur. Nā hic index scriptura repetitur ex ea Traditione, quæ alioqui initio scripta non fuit, sed est nihilominus bene testata. Atque ut uno uerbo dicam: uelim omnes principio intelligere, cum de Traditione hîc loquemur, nos loqui de testimonio ueteris Ecclesiæ, ea, quæ accipit, bona fide recitantis. Veniamus ad id, quod primum quæritur. Augustinus integrum illum siue canonem siue catalogum, qualem tandem abs sui temporis Ecclesia editum, probatum, receptumq́; esse sentiebat, edit & laudat libro II. de Doctrina Christiana: & in Concilio Laodiceno, Carthaginensi, & Constantinopolitano laudatum esse constat. Quid igitur quæstionis est? Caluinus non dubitat de ijs ueteris fœderis siue testamanti libris, quos Hebræi agnouerunt atq; enumerarunt. Sed Christianorum postremum de ijs iudicium repudiat. Cur illis plusquā his, habet fidei hac tota in re? Quis Hebræorum librorū catalogum siue indicem ediderit: ignorat, & fuisse hoc factum postremis temporibus Iudæorum, quibus Synagoga Prophetis carebat, liquet: quia in eo enumerentur etiam Psalmi, tempore Antiochi Epiphanis conscripti. Fuisse tamen opus magno iudicio

& diuino spiritu, non est dubium, cum non solum tam uarij diuersiq; Psalmi, sed & Prophetarum dispersæ et sæpe abruptæ conciones essent colligendæ. Ac quidem Christus & Apostoli plerosq; auctores scriptoresq; Hebræorum librorum, qui sacrosancti sunt, citando laudandoq;, certo eos testimonio communiunt. Non tamen omnes nominant: & quorundam non faciunt mentionem, de quorum auctoritate magis alioqui dubitari posse uideatur, ut Cantici canticorum. Nihilominus Caluinus meritò reprehendit eos, qui de ijs dubitant, cum ueteres Christiani de ijs non dubitarint: & quendam Doctorem Basiliensem, non solùm Caluinus, sed & Beza, tanquam capitis reum, accusat, quod dicatur illi Cantico minùs tribuisse. Rectè hactenus. Sed cum quis Ecclesiasticum laudat, Caluinus exclamat sese eum suo iure repudiare. Cur igitur Beza in eum, ut in epistolas Pauli, annotationes edidit? An (quod suspicor) dicet, id se fecisse, ut si Isocratem aut Phocilidem interpretaretur, faceret? Sed cur Caluinus eum librum repudiat? Quia (inquit) non est in canone Hebræorũ. Atqui est in illo Christianorum, quem Augustinus recenset. Imò Caluinus exclamat non constare de Christianorum canone. Si ita est, ecquid tandem statuet de libris sacris? Nam horum index certè ac Ecclesia Christiana, potiùsquam abs Synagoga Iudaica repetendus esse uidetur. Vtinam diligẽtius animaduerteret

uerteret Caluinus, quorsum imprudens euadat, & quibus cuniculis labefactet fidem uniuersæ scripturæ, cum & illius iudicium reuocat in dubium. At (inquit) est aliqua uarietas, cum Christiani hunc canonem recitant. Fuit sanè ab initio aliqua, cum inquisitio & examen etiámnum ueluti penderet, & pauciores libri enumerarentur, intereà dum de alijs liqueret. Sed saltem tempore Augustini, iam re tota cognita & iudicata, ea erat conclusio, de qua deinceps inter omnes bene conuenerit. Quid? Ne ipsos quidem Hebræos de suo canone librorum ueteris testamenti statim semperq; inter sese plane cõsensisse testis est Athanasius in Synopsi. Et uerò si conferas Caluine, quod Iosephus, Origenes, Hilarius, Athanisius, Epiphanius, Hieronymus, de eo recitant, aliquam agnosces ueritatem. An propterea aut nullum aut nihili esse dices? An totum repudiabis? Minimè. Cur itaq; Christianis iniquior es simili in causa? De aliquot epistolis Apostolicis olim in Ecclesia dubitatum fuisse fateris, & propterea libros noui testamenti, non ab omnibus statim ab initio sempérque eosdem enumeratos esse. An propterèa receptum deinde & definitum eorum canonem reijcis? Minimè. Cur igitur non idem pateris statui de libris Veteris testamẽti? Cur in ijs uis Christianos omnino pendere abs Iudæis? Quia, inquis, ipsi Christiani hoc etiam uoluerunt. Neque hoc uerum est uir

optime

optime, neq; Christiana Ecclesia, cum Iudæorum libros sacros excepit, sibi detraxit ius sui testimonij. Ipse Hieronymus, etsi Hebræis fortaßis addictior esset, & eius tempore, cum de noui testamenti libris potius quæreretur, de Hebræorum canone Veteris testamenti minus laboraretur, tamen in Tobia non dißimulat sese eorum canonem neglexisse, & Pharisæorum, ut ait, iudicio, Episcoporum iußiones prætulisse. Ipse quoq; eodem tempore Epiphanius, qui & Hebræis tribuebat alioqui plurimum, tamen ubi disputat aduersus Anomæos, librum Sapientiæ annumerat literis sacris, neglecto Hebræorum canone. quod & multo magis postea fecisse Ecclesiam testatur Augustinus, tametsi tu nunc librum illum confidenter expungas prætextu Canonis Hebræi. Sed & cum ageretur de alijs quibusdam eius generis libris, quos tu multò magis reijcis, Augustinus duobus locis non dubitat, ut eos recipiendos esse probet, opponere iudicium Ecclesiæ iudicio Iudæorum. Non Iudæi (inquit) sed Ecclesia eos habet pro canonicis: quanquam & hoc mala fide scripseris, quod scripsisti eos ab Augustino non esse receptos certa fide. Certè quam Ecclesiæ Christianæ cogeris deferre & defers auctoritatē indicandæ saltē scripturæ sacræ, & discernendorum librorum canonicorum ab adulterinis & apocryphis, eandem necesse est concedas Ecclesiæ Catholicæ, quæ tempore Augustini florebat:

bat: aut dicito nobis, quo tempore hocius testimonij amiserit uetus Ecclesia. Vt Canonem, quem ex eius testimonio Augustinus recenset et laudat, exagites, ais nullam eius factam esse mentionem in Niceno Cōcilio. Vnde hoc probas? An omnia eius Concilij acta tenes? Saltem meminisses, quod Hieronymus, librum (inquit) Iudith, Synodus Nicena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse. Verùm etsi probares hanc Synodum nullam huius Canonis fecisse mentionem: quid hoc ad rem? An fecit mentionē alterius breuioris canonis, quem solum probas? Exclamans nos ob mutescere debere, si roges in quo Concilio editus sit canon scripturæ, qui nempe ab Augustino laudatur. Equidem, ut ipse potiùs obmutescas, rogo ut saltem tua excellentia dignetur inspicere acta Concilij Laodiceni, Carthaginensis, & Constantinopolitani.

Beza in Conuentu Posiaco, cum hac de re quæreretur, sentiens quibus angustijs premeretur, neque habens quod diceret, uno aut altero uerbo eludere conatus est. Tantum dixit, quod & postea scripsit, inueniri hac de re Concilia contraria. Quid ergo conficere uoluit? Nullum certum scripturæ Canonem siue indicem esse. Et ubi hoc cōfecerit, ecquo recidet? Sed obsecro Beza, ubinam illa contraria Concilia inuenisti? Cur in Concilio rogatus ea non profers, ut alios labore quærendi, quod nunquam inuenient,

subleuares

fabuleues? Si diceres diuersos indices inueniri, hoc est, in quibusdã plus librorum enumerari: diceres, quod iam sum confessus: sed facilè conciliari posse, iterum iterumq; dico. Cæterum, nusquam inuenies librum unum ritè probatum, posteà reprobatum fuisse. Auctum illum indicem inuenies. Diminutum non inuenies.

Vt hæc disputatio finiatur, & quanti in hoc genere fieri deberet tistimonium iudiciumq; Ecclesiæ, magis appareat, proferri solet tritum illud & uulgare dictum Augustini, ego Euangelio non crederẽ, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoueret, &c.

Imò uerò ipse Beza in Collatione Posiaca, ut præoccuparet, illud ipsum allegauit. Quid uerò ut eluderet, dixit? Quod abs suo magistro audierat. magister uerò ille quod abs uicino suo Musculo. Ait Augustinum eo loco loqui ut Manichæum. Quid hoc est? Volunt boni isti interpretes dictum Augustini perinde accipi ac si dixisset, Ego cũ adhuc Manichæus eram, non credidissem Euangelio, nisi me commouisset auctoritas Ecclesiæ. Sed quid rursus sibi uult hæc noua interpretatio, aut quid efficit? Cur dicit potiùs Manichæos commotos fuisse auctoritate Ecclesiæ, ut crederẽt Euangelio, cum quidẽ illi totã Ecclesiam contemnerent, & eius testimonio librisq; ab ea laudatis fidem derogantes, apocryphis potiùs quàm canonicis crederent, ut testis est August. lib. 11. cõtra

Felicem

Felicem Manichæum. Sed etsi diceremus Manichæos Ecclesiæ auctoritate potuisse commoueri, ut agnoscerent Euangeliū: quantò magis alios dicemus? Aßidebat in eo cōuentu Petrus Martyr Bezæ, et nasum corrugabat, cum hanc Caluam fatuitatē audiret. Tacebat tamē: sed nos memineramus lōgè aliā eius de illo dicto Augustini sententiam fuisse, quam & in lib. Iudic. edidit. Scribit enim obseruandum esse dictum commoueret, non autem moueret, quia illud minus quippiam sit, quàm hoc, quod potius Spiritui sancto conuenit. Sit ita. Addit autem quod quærimus, Augustinum rectè cōtra Faustum scripsisse, Manichæos sic debere credere primū caput Matthæi, ab eo fuisse conscriptum, quemadmodum credebant epistolam, quam appellabant Fundamentum, fuisse Manichæi: quod nimirum apud Maiores eorum ita fuerit cōseruata & per manus tradita. Rectè. Sed hoc illud unū est, quod uolumus. Bullingerus, à quo pendebat Martyr, & ad quem referre solebat quod agebatur in illo conuentu, solet illud, quod recitaui, dictum interpretari ex sententia Ioannis Gersonis Theologi Parisiensis, qui eo loco Ecclesiam dici illam (ut uocant) primitiuam, fidelißimam testem rerum Euangelicarum, admonet. Sed utut uariè hoc dictum torqueatur, tamen omnium consensu hoc saltem tenemus, quod unum nunc urgemus, ueterem

Ecclesiam esse iudicem & testem sacræ scripturæ: &
illius testimonio indicioq; fieri, ut libri sacri agnoscantur, atque ab adulterinis discernantur: ut si non credimus Paulinæ epistolæ, quia Ecclesia ei credendum esse monet, sed quia Paulina & Apostolica sit: at saltem confiteamur nos credere Epistolam illam uel illam esse Paulinam, quia Paulinam esse Ecclesia illa indicet, testetur, affirmet. Vnde enim alioqui scimus esse Paulinam? Ipse Beza cum urgeretur in conuentu, dicebat, quod & postea scripsit, cum de fide instrumenti quæritur, recurrēdum esse ad notarios. Sit ita. Sed obscurè & captiose nescio quid cauillabatur, instrumentum non esse fundatum in testimonio notariorum. Nemo negat substantiam rei gestæ non esse fundatam in scriptura notariorum. Sed agnitio et fides instrumenti siue scripturæ, quænam erit sine aliqua subscriptione aut notarijs aut testibus? Mira profectò fuit Bezæ hac in re tergiuersatio: neq; non illi aduersarius Theologus nobilis apertè et ingenuè respondit, frustra eum cauillari, cum, utut sese torqueret, eò recideret, ut cogeretur confiteri quod quærebatur.

Martyrem certè, tametsi tunc taceret, rursus memineram scripsisse in lib. Iudic. quod uolebamus. Inquit: Ecclesiæ tria munera, eaque pulcherrima, circa uerbum Dei, tribuo. Primùm, vt eam confitear tanquam testem sacros libros adseruare. Secundò

cum

eius esse non dubitamus, vt sermones sibi à DEO commissos promulget ac prædicet. Postremò, vt cũ sit prædita diuino Spiritu, sinceros & germanos libros diuinarum literarum ab adulterinis & apocryphis discernat. Hæc ille. Iam igitur euicimus quod uolebamus, eius Ecclesiæ testimonio stari, cum quæritur, quænam sit scriptura sacra. Non potest hoc in dubium reuocari, quin aperiatur fenestra impostoribus atq; falsarijs, atq; adeo labefactetur in multorũ animis & scripturæ & religionis certitudo. Illo tamen concesso, quod negari non potest, non uidetur dubium esse posse aut debere de reliquo, quod nunc est in quæstione, hoc est, an eius Ecclesiæ testimonio fides habenda sit, si de intelligentia eius scripturæ & sententia, quam quidem ab auctore traditam acceperit, uel de eius auctoris alio mandato nuncupato, quòd perinde scriptum fortasse non fuerit, testimonium dicat. Mirum uerò est Caluinum & Bezam tãtopere declamitare, Scripturæ iniuriam fieri, si quid tale dicatur audiatúrue cum optima etiam cautione. Certè quibus testibus credimus affirmantibus hanc uel illam Epistolam esse Paulinam, ijs quî possumus non credere, confirmantibus se hanc uel illam sententiam aut intelligentiam eius epistolæ accepisse ab auctore? Si excipias, rara esse testimonia eius generis, quia scribendo satis suam sententiam scriptores ipsi exposuerint, neq; interpretationum commenta-

rios alioqui informarint: respondeo de ijs tantũ uerbis & de locis me loqui, quibus talis interpretatio accesßit, siue quia res erat obscurior, ut in maximis religionis nostræ mysterijs, siue quia uerba ab hæreticis insidiose captabantur, & malè interpretando deprauabantur: ut cum prima illa uerba Ioannis ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος partim à Samosateno, partim ab Arrio impiè torquebantur: nonne de eorum uerborum significatione et interpretatione audire oportuit auditores Ioannis, uel eorum auditorum discipulos, qui ut testabantur scripta ea esse abs Ioanne, sic etiam exponebant, quomodo intellecta & explicata ab eodẽ fuerint? Ergo ut olim Marcionistæ & Manichæi & similes, cum repudiarent sacras scripturas, & falsas esse clamitarent, & ijs fidem detraherent, refutati sunt testimonio religiosæ antiquitatis: si & cum alij, ut Samosateni, Arriani, Macedoniani, Donatistæ, Nestoriani, Eutychiani contrà clamitarent sese omnino inhærere scripturis sacris: quia id prætexebant, ut eluderent earum intelligentiam ab Apostolis traditam, & ex ea repetitam doctrinam, quam Ecclesia retinebat, eiusdem antiquitatis testimonio & consensu repreßi sunt. Itaq; Hilarius ad Constantium scribebat, neminem hæreticorum esse, qui non mentiatur se secundum scripturas ea prædicare, quæ blasphemat. Sed (inquit) omnes loquuntur scripturas sine sensu. Scripturæ autem non in legendo sunt, sed

sed & in intelligendo, &c. Ergo & licet tales initio expositiones abs suis auctoribus omnino descriptæ nō fuissent, ab auditoribus tamē, ut erāt abs magistro traditæ, non solum exceptæ, sed & consignatæ plerunq; fuerunt. Hicq; imprimis mihi in mentē uenit, quod Eusebius scribit de Ignatio Ioannis discipulo. Ait eum suos diligenter monuisse, ut fugerent nouas hæreses, & Apostolorū traditioni penitus καὶ ἀπρίξ *adhærerent. Iudicasse autem, debere se monumentis literarū eam commendare cautionis causa, ut scriptā testationē posteritati etiam relinqueret* ἐγγράφως μαρτυρόμενος. *Theodorus Bibliander (quem Theodorus Beza symmystam agnoscit) ubi de Concilijs agit, eum locum siue prudens siue imprudens corrupit, cum id, quod de Ignatio dicitur, interpretatur dici de Apostolis, qui ita iudicarint, & propterea talem testationem reliquerint. Sed ipsa etiam Grāmatica Bibliandrum refellit. Interdicit egregius ille liber Ignatij. Sed ex alijs scriptoribus Ecclesiasticis sarciri hoc tale tantumq; damnum utcunque potest. Librum autem illum de Traditione Apostolica, fuisse de doctrina fidei, manifestum est. Eius enim licet præcipua & summa capita diligenter ab ipsis Apostolis descripta fuissent: tamē quæ ab ijs auditu acceperat & eodem pertinebant, rursus abs se consignanda esse iudicauit & ad posteritatē transmittenda, ut impostoribus magis atq; magis occurreretur.*

Nam & fortasse ea continebant illustriorem aliquã expositionem. Iam uerò obseruandum est, propterea factum esse statim post mortem Apostolorum, ut quale de Scripturis, tale etiam de Traditionibus illis certamẽ exarserit, cum quidem Ecclesia utriusq; coniunctis & doctrinam suam tueretur & aduersarios oppugnaret: aduersarij uerò non dißimilia arma effingerent, quibus fallerent. Sic enim Irenæus, qui ut Polycarpum, sic & Ignatium audiuit, scribit, hæreticis primũ oppositas fuisse scripturas sacras: cumq; hi uel earum auctoritati detraherent, uel aliam sententiam excuderent, oppositum etiam fuisse Traditionis testimonium: traditionis (inquam) non fictæ aut falsæ aut dubiæ, (qualem iam tum ipsi quoque hæretici uicißim prætexebant) sed traditionis ueræ, certæ, sinceræ, fidelis, hoc est, quam ab Apostolis illi acceperant, qui ab ijs gubernationem quoque Ecclesiæ, fidei suæ commissam simul susceperant. Et uerò Irenæus tanti facit illius traditionis bene testatæ præsidium, ut etiam si fortè Apostoli nihil alioqui scripsissent, nihilominùs eam sequendam esse pronunciet. Nam & tam recens tunc erat memoria traditæ per Apostolos & prædicatæ doctrinæ, ut ipsi etiam parietes etiámnum spirare eam uocem uiderentur. Prætereo, quod paulò pòst Tertullianus in lib. de præscript. hæretic. præfractè negat cum hæreticis certandum aut pugnandum esse ex scripturis.

Vereor

Vereor enim ne hic Afer & uehemens scriptor in ea re modum excessisse dicatur. Et ipse Marcionem oppugnans, scripturæ præsidium acerrimum minimè omnium neglexit. Sed illud dico, cum hoc principali patrocinio religionis, Veteres lubenter coniunxisse subsidium quod dixi. Non est dubium, Arrianos, tametsi multos Scripturæ locos ad pingendam suam hæresim obtenderent, tamen testimonijs ipsius scripturæ refutatos esse. Verùm cum uerba captiose aucuparentur, & uocem τοῦ ὁμουσίου, quia in sacris literis expressa non sit, repudiare se clamitarent: Orthodoxi testimonio & consensu ueteris Ecclesiæ sese ea quoq; in re defendebant. Arriani nostrorum confeßionem cauillantes clamabunt. ὅτι ἄγραφοί εἰσιν αἱ λέξεις: &c. ut narrat Athanasius. Nostri respondebant, sese eas non finxisse, sed abs Ecclesia Apostolica traditas accepisse: & licet non sint expressæ in sacris literis, tamen ex earum intelligentia ab idoneis scriptoribus testata esse expressas. Sanè Augustinus disputans de sacrosancta Trinitate fatetur, Scripturam non commemorare tres personas. Sed licuit (inquit) tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Si hoc in re tanta satis esse uidetur Augustino, quanto magis nobis satis erit, non modo non contradicente scriptura, sed etiam assentiente & confirmante aliquid dici, quod ijsdem alioqui uerbis illa fortè non

de causa Arrij olim scripsi in meo Constantino: & deinde conferri cum Caluini horribili calumnia, qua cum oppugnat libellum de Officio pij uiri, mihi id, quod detestor, impudentissimè ascribit, cum tractat hunc locum, & latrando quærit quod arrodat. Iam uerò ut potiùs agamus quod instat, & cepta persequamur, dico, si quæstionem de Spiritu sancto, quæ in secundo Concilio, hoc est, in Constantinopolitano definita est, cōsideremus, de ea actum esse uideri, ut de Christi æterna diuinaq; essentia actum fuerat in Niceno. Et uerò quod in eo ex sententia Nectarij Theodosius uolebat, magis atque magis ostendit quod dico. Quia mihi res est cum hominibus, qui non nisi suis sodalibus credunt: en ipse eorum Philippus in suo postremo Chronico, Cōsilium (inquit) Theodosij memoria dignum est, qui, cum hæretici eluderent testimonia Prophetica & Apostolica, iussit proferri testimonia ex pijs scriptoribus, qui ante dissidia illa fuerant, vt consensu purioris antiquitatis conuicti cederent. Idem si nunc fieret, multæ dissensiones rectè tolli possent, &c. Et si fides nititur verbo DEI: & norma iudicij esse debent scripta Prophetica, Apostolica, & Symbola: tamen vocem purioris Ecclesiæ docentis & commonefacientis, audire pium est: iuxta dictum, Nisi arassetis vitula mea, non inuenissetis. Consideremus autem ætates scriptorum, & fide di-

gnos discernamus ab impuris. Aetas Theodosij habuit laudatos scriptores, Basilium, Ambrosium, Nazanzenum, Theodoretum. Visum fuit hoc loco *hæc* Philippi *uerba ascribere, ut experiret, ecquid poterunt apud eos, qui ei uiro se fidem habere, saltē postremis eius iudicijs moueri se aiunt.* Sed *reuertamur ad* Concilium Constantinopolitanum. Negabāt Macedoniani *Spiritum sanctum in scripturis omnino & apertè appellari* DEVM, *& propterea cauillabantur* Orthodoxos *fingere* Deum ἄγραφον, *ut* Nazanzenus *ait. Hic uerò ipse* Nazanzenus, *qui eius* Concilij *pars magna fuit, respondet, In scripturis quasdam res cum non sint, dici tamen: quasdam uerò cum sint, tamen non dici.* Prioris *generis esse, cum dicitur* DEVS *dormire. Alterius, cum dicimis* DEVM *ingenitum, & Spiritum sanctum esse* Deum: *quia etsi id totidem fortè uerbis in scriptura non exprimatur, tamen ex scripturæ sententia perspicuè colligatur. Sic aduersariorum de scripto cauillationem refellit, ut &* Macedonianis *scitè obijcit,* φιλίαν ἀυτοῦ γραμματος ἔνδυμα ἀυτοῖς εἶναι τῆς ἀσεβίας. *Sed non minus propterea eos oppugnat ex scripturis: quarum quidem in hac quæstione sententiam ex ueteris quoq;* Ecclesiæ *testimonio & traditione illustrabant etiam patres illi Constantinopolitani.* Ergo *& cum* Eunomius *Macedonianorum deliria secutus, nollet agnoscere Spiritus*

ritus

ritus Sancti cum Patre & Filio, ut uocant, consubstantialem, & exagitaret illud in Ecclesia decantatū Spiritu Sancto quasi in Scripturis non expressum, Basilius illi respondens non dubitat hoc largiri, scilicet non esse, quod quæritur, ab Apostolis omnino planeq; scriptum: Sed nihilominus ab ijs dictum, traditum, prædicatum satis esse probat ex ueteris Ecclesiæ testimonio & consensu: proptereaq; περὶ ἀγγράφων παραδόσεων longiorem orationem adiungit: & in eas angustias aduersarium attonitum redigit, ut ipse Eunomius, cum iam negare nō auderet, quod de Traditionum fide & testimonio Basilius affirmabat, etiam conatus sit tali aliquo præsidio sese tueri: quod tamen statim expertus est sibi deesse. Sic ergo quod tempore Irenæi accidit, accidit Basilij rursus tempore, ut de Traditionibus, sicuti alias de Scripturis, certamen esset, cum alij alias obtenderent. Cæterum hæc quæstio, quæ facti erat, et falsi quæstionem includebat, legitimis testimonijs statim definita fuit: neque quia hæretici impostores, Traditionum nomine abutebantur, aut falsas affingebant, propterea Orthodoxi aut ueras certasq; abiecerunt, aut earum testimonio uti desierunt. Scripturis ipsis non minus insidiati etiam sunt hæretici. Neq; tamen propterea nostri eas deseruerunt.

Veniamus ad tertium Concilium generale, quod Ephesi cōuenit. Nestorius ex duabus naturis Christi

controuersa non sunt, & eorum Conciliorum symbola, ut Apostolica, agnoscuntur: quæ & noster Iustinianus olim non dubitauit annumerare literis sacris. Ac Caluinus quidem aliquando symbolo Niceno, cum negaret esse Nicenum, & Battalogicum carmen esse diceret, multum detrahere conatus est in quadam disputatione aduersus collegam quendam suum Petrum Carolum. Sed ne ab suis quidem Ministris ea in re defendi posset. Deniq; Beza in cõuentu Posiaco subscripsit Symbolis illis. Verùm tãtò magis miratus sum, eos, qui in re maiori crederent ueteris Ecclesiæ testimonio, in re leuiori fidẽ illi detrahere uelle. Age uerò. Bene rursus habet, nihil etiam eos illi testimonio detrahere in primis de Baptismo quæstionibus, nempe cum quæritur, an infantes rectè baptisentur, uel an abs hæreticis administratus baptismus iterandus sit. Prior quæstio, (etsi testimonio ECCLESIAE, *traditionem Apostolorum proferentis, potiùs quam Apostolico ullo scripto, niteretur baptismus infantium) nihil olim habuit dubitationis. Nam & qui negabant ab hæreticis baptismũ rectè posse administrari, cõfitebãtur alioqui pueros rectè posse baptizari. Hodie quidam inuenti sunt, qui hoc negent non minus quàm illud. Sed cum ij, cum quibus nunc agitur, illos Anabaptistas, Euangelij uerba captantes, refellant religiosæ antiquitatis testimonio: rursus mirari cogor, cur hoc te-*

stimo-

stimonium in re minoris momenti repudient. Quid? Et si dubitare magis fortasse possent de baptismo hæreticorum, tamen ne in eo quidem testimonium ueteris Ecclesiæ, tametsi uarium uideatur, neq; omnino constanti consensu nitatur, reijcere audent. Non modo Donatistæ uel Arriani, sed & pleriq; alioqui Orthodoxi, contendebant potiùs conuenire cum sacris literis, ut talis baptismus pro nullo haberetur: & iã olim Concilium Carthaginense, cui ipse Cyprianus præerat, multis (ut uidebantur) ex sacra scriptura repetitis rationibus, cõsuetudinem non rebaptizandi eos, quos hæretici baptizauerant, reprobauerat: & ducentis deinde annis in Africa eius Concilij decretũ sæpiùs laudatum fuit. Sed ut nihilominùs tandem Augustinus defendit priorem consuetudinem, & ex eorum, qui Cyprianum præcesserunt, usu Apostolicam uideri pronunciauit: Sic & hodie Caluinus Bezáue cum suis, non dubitat hac in re in testimonio Augustini acquiescere. Sed quo fundamento? Dicebat Cyprianus: Ne quisquam dicat, quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur, quando Apostoli non nisi unam Ecclesiam tradiderunt, & baptisma unũ, quod non nisi in eadem Ecclesia sit constitutum. Respondet Augustinus. Quod ait Cyprianus, non me tantum mouet, quantum me mouet, fuisse quosdam etiam Cypriani temporibus, qui consuetudinem illam, contra quam fiebant Africana Concilia, dicerent

rent

rent ab Apostolis traditam. Addit deinde: Non inuenimus ab Apostolis aliquem, cum apud hæreticos baptisatus esset, in eodem baptismo admissum esse & communicasse. Sed neque hoc inuenimus, ab hæreticis aliquem venientem, qui apud illos fuerat baptisatus, ab Apostolis denuò baptisatum. Sed illa consuetudo, quam etiam tunc homines sursum versus respicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur. Et talia multa sunt, quæ longum est repetere: Hæc ille. Quæ qui legunt & probant, cur aliter statuunt in similibus quæstionibus, rebusq; multo leuioribus, maioriq; etiam consensu testatis? De ceremonijs quibusdam iam inde ab illa prima ætate, ad hanc usq; ætatem perdurantibus, neque tam longo perpetuoq; solum usu, sed & uniuersæ uetustatis testimonio cōmunitis, hodie certamina acerbißima sunt, non solū cum de earum iure, sed & cum de origine & auctore (quæ facti quæstio est) agitur. Sed quamdiu testimonia quæ dixi, non refelluntur (& quomodo tandem refelli possent, quin falsi damnetur uniuersa illa uetus ueraq; Ecclesia?) quid aduersarij reclamando tādem efficere possunt? Ex libro Tertuliani de Corona militis, & Basilij de Spiritu sancto, liquet olim traditiones de ritibus, qui scriptura alioqui expreßi nō erant, tam fuisse tamen certas, ut nulla de ijs controuersia esset, tametsi de alijs maiorum mysteriorum tradi-

traditionibus esset maxima. Hodie præpostero quodam modo fit ediuerso, ut de his nulla sit, sit autem de illis magna. Quid tergiuersamur? Non possumus inficiari, ueteres Christianos admirabili consensu, quod de iure non Romanorum modo, sed & aliarum gentium, dictum olim fuit, partim esse scriptum, partim non scriptum, hoc est, ἔγγραφον καὶ ἄγραφον, id dixisse etiam de iure suorum sacrorum. Græci illis ipsis uerbis utuntur, ut Clemens Alexandrinus, Basilius, Epiphanius, Dionysius. Latini suis utuntur, quibus eandem distinctionem exprimunt. Neq; sanè quicquam olim fuit in uniuersa Ecclesia magis decantatum. Quid igitur quæstionis superest? Caluinus & Beza nihilominus reclamant: quibus nunc est respondendum. Nunquam de sacris literis earumq; diuina auctoritate, dignitate, excellentia, luce, beneficio dices Caluine tam multa, quin plura dicere etiam uelimus. Tantum abest, ut lis aut controuersia inter nos ea de re ulla sit, tametsi mentiaris esse maximam. Sed aliud est, quod nunc quæritur. Quod ut minùs perspiciatur, tu declamando multas strophas & tortuosas ambages inuoluis de scriptura: ego ut illud magis intelligatur, has discutere uellē, ut & tandem certò sciam, quis causæ status mihi tecum sit. Quæso itaq;, cum de scriptura tā uariè loqueris, num de scriptis tabulis, an uerò de re ipsa, quæ ijs cōtinetur, agas? Quæro etiā, an hîc dici posse fatearis,

quod

quod leges aiunt de fide instrumentorum: Fiunt scripturæ, vt quod actum est per eas probetur faciliùs. Et sine his autem valet quod actum est, si habet probationem, sicut nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est. Credo equidem te scripturam credere non substantiam rei, qua de agitur, esse, sed testimonium & probationem. Sed quæro, num & hanc ex iure nostro repetitam similitudinem hic audias? Prætorem quidem olim non agnouisse testamētum nisi scriptum tabulis consignatis, neq; subscriptione modo, sed & sigillo testium communitis: benignè tamen datam esse bonorum possessionem secundum nuncupationem, sicuti secundum tabulas: ut & iure Ciuili testamentum nuncupatiuum nec scriptū, sed ut noster quoq; Iustinianus uocat ἄγραφον, utile fuit & ratum. Patere me (obsecro) aliquid nūc in hac comparatione, de nostris ciuilibus literis delibare, præsertim cum ipse Basilius in hac quæstione etiam ijs utatur. Et quia tantum mihi sumpsi, ut te de tua sententia, quam nondum intelligo satis, ciuiliter & familiariter rogare audeam, rogo præterea, num scripturam, in qua manum, aut signum, aut sigillum eius, quo de agitur, non agnoscis, nullius esse fidei putes. Peto etiam, num præter eius scriptionem aliquam, aliquos etiam testes requiras? Nam testamentum etiam ὁλογραφὸν, tamen sine testibus non ualuisse Leges nostræ aiunt.

Et

Et si suspicer, quid de hisce quæstionibus sentias, tamen iterum obsecro, patere me ità agere, ut res liquidior fiat. Sanè quod Leges ciuiles profitentur, testibus non testimonijs credendum esse, nolles (ut spero) ualere in ea, in qua nunc uersamur, facti quæstione. Scripta enim testimonia absentium mortuorumq; testium, credo, recipies, si suspectæ alioqui fidei non sint. Iam ut ad rem propius ueniam: iterum quæro, an non fatearis maiorem partem Apostolorum nihil scripsisse, quod quidem nobis relictum sit, & suo tamen eos officio prædicandi Euangelij uerbiq; diuini, bene perfunctos esse? Quæro, an solis Apostolis, quod ipsi docebant, scribere licuerit, an etiam eorum discipulis suorum magistrorum doctrinam, quam audierant, literis mandare fas fuerit? Tu Epistolam ad Hebræos, negas scriptam esse abs Paulo uel alio Apostolo, cum ab aliquo Pauli discipulo scriptam esse contendis: nihilominus tamen Apostolicã esse fateris: sicuti & secundam illam epistolam, quæ Petro adscribitur & eius nomen præ se fert, non ab eo, sed ab alio scriptam esse ais: & tamen Apostolicam atque canonicam esse non negas. Hic ego rursus quæro, an omnibus Apostolorum discipulis, tanquã notarijs & tabellionibus hoc licuisse putes, ut eorũ omnium testationibus & scriptis habeas fidem. Si non omnibus hoc tribuis: dicito, quibus tandem hoc potissimùm concedis, quibus non concedis. Peto deniq;

niq; num alij deinde Apostolorum successores nulli fuerint, quorum ita conceptis testationibus in eo genere fidem habeas? Si qui sunt, tuo iudicio dicito: etiam quosnam esse putes, & ad quod seculum hanc testandi potestatem restringas. Miraberis (uereor) me quærere abs te tam multa, & fortasse suspicaberis id cautè me facere, ut te in hac disputatione constringam, & euagandi, eludendi atq; effugiendi uiã homini uario & (ut tuo uerbo utar) uersipelli obstruam. Ita est profectò. Quid? Nuper auctore te princeps tuorum discipulorũ Beza scribens in Pauli ad Timotheum epistolam, triumphãs exultat, quippiam, quod suo fortè palato arridet, commemorari ab Epiphanio, tanquam abs Paulo in ea epistola scriptum, quod tamen nullo in exemplari eius epistolæ scriptum, & nusquam alibi testatum inuenitur: neque tamẽ dubitat, unius Epiphanij testimonio qualicunque fretus, non modo illud fuisse abs Paulo scriptum, quod in eius alioqui scriptis non legit, sed etiam illi epistolæ, quasi mãca ea in omnibus libris sit, esse inserendum. Atqui si ex eodem Epiphanio testimoniũ multo liquidius magísque testatũ repetatur, testimonium (inquam) Apostolici alicuius dicti, aut mandati, aut instituti, quod auctor scribere non instituerat, & propterea in eius scriptis non extare, mirum non sit: exclamabit idem Beza, te succinente, totum illud testimonium esse nihili: & scripturam au-

ctoris in suo etiam edito libro præfractè requiret: neque, si eius rei multa alioqui scripta & bene consignata testimonia ueterum planè consentientium, quibus non minùs, uel fortasse etiam magis, quàm uni Epiphanio *credendum sit, recitentur, curabit quicquam.* Vide *quam iniqua cōditione nobis tecum agēdum esset, si ita tibi agere permittas.* Equidē *scio & fateor in tanta ueterum impostorum fraude, & testamētariorū audacia, magnā nos adhibere debere cautionem, præsertim cum de te tanta quæstio sit: neque ignoro in testimonijs excutiendis grauem inquisitionem magnumq́; iudicium requiri: addo etiā, si uis, nobis in mentem uenire debere quod sapientes olim dicebant, Non temerè esse credendum.* Sed *uelim aliquid apertè decernas & definias, in quo & tu consistas, & ego te constantem uideam.* En *duæ sunt Iuris nostri regulæ, quibus an etiam teneri uelis quæro. Aiunt non posse te reprobare testem, quem in alia causa semel probasti: & rursus non posse eum probare, quem iam semel exceperis atq; refutaueris.* De *his quid sentias, ingenuè liquidoq́; dicere deberes, priusquàm, anabatarum more, cæco & confuso nos certamine inuoluas.*

Age tamen, liceat tibi quicquid lubet: audiamus quid mihi obijcias, cum non meum, sed alienum libellum exagitas: imò cum ueterem Ecclesiam, *eiusq́;*

testimo-

testimonia de traditionibus oppugnas. Magnum quippiam est quod suscipis, ut eam ipsam iam multis, antequam quicquam dixerit, seculis, in hoc genere suorum testimoniorum, refutatam fuisse testimonio sacrarum literarum, & Prophetarum Apostolorumq; iudicijs, probes. Quid igitur primum adfers, cum per meum latus illam corfodere uis? Cum (inquis) multiplici superstitionum labe vitiatus esse Dei cultus, & veritas mendacijs obruta, Iesaias, vt remedium adhibeat tantis malis, non nisi ad legem & testimonium suos reuocat. Priusquam Caluine excuterem, quid inde conficere uelis, locum Iesaiæ inspexi. In Biblijs istic postremò excusis cum priuilegio tuo, reperi eius loci quandam interpretationem: quæ si uera est, te refellit: si est falsa, cur eam non iubes expungi, præsertim cum eludat, quod pro fundamento huius disputationis allegas, & imperitos poßit fallere? illam dico, quæ ita uertit locũ illum, per legem & testimonium, ut sint uerba iurantis. Sed age: uerior sit altera interpretatio: tamen ne ea quidem, quod uis, probat. Propheta suos ab oraculis ethnicis, ueluti Pythijs, reuocat ad Mosaicam Legem, quam potius debeant consulere: & quod sæpe aliàs urget, hoc agit, ne populus Iudaicus consulat Pythones aut similes impostores. Itaq; meritò Hieronymus admonet eo loco Prophetã dicere uelle quod Moses ipse Deute. XVIII. dixit:

aliæ gentes consulunt ariolos & magos, vos autem non sic, &c. Sed mi Caluine, an inde probabis quod uis, ueterem Ecclesiam Christianam non esse audiendam, cum dicit testimonium in causa suæ religionis, de ea re, de qua quæritur? Si Legem Mosaicam consulendam esse dicas: nemo negat, si quid sit, de quo illa respondeat. Omnibus eam Christianis quæstionibus dissoluendis solam sufficere, credo, non dices, ne Apostolicas literas expungere uidearis. Ergo quære aliud quod nobis obijcias. Id uerò etiam facis: *Paulus (inquis) Ecclesiam ad omnes pugnas instruens, satis habet vocare Dei verbum, gladium spiritualem: Traditionis non scriptæ nulla mentio.* Nunquam profectò ita loquereris, nisi si te tua bilis uel excæcaret, uel transuersum ageret. Paulus Ephesios hortatur, ut fide pro scuto, & uerbo Dei pro gladio, sese arment aduersus Diaboli tentationes, illud solum significans (quòd tu ipse in tuis commentarijs ais) si in nobis uerbum Dei efficax per fidem erit, satis superq; armatos fore nos ad repellendum profligandumq; talem hostem. Quid hoc, obsecro, ad id, quod nunc pugnando conficere uis? Quæritur, an cum hæretici oppugnant Ecclesiam, irridendo quæ docet uel agit, quia in sacris literis ad uerbum descripta fortè omnia non sint: illa rectè opponat aliud testimonium, quo probet se tamen nihil agere temerè, neq; sine iusta auctoritate? Quæritur (inquam)

quam)an antiquißima sua uel dogmata, uel institu-
ta bonis certisq; auctoribus ac testibus communiens,
non habeat fidelem siue clypeum, quo se defendat,
siue gladium, quo suos hostes improbosq; censores
profliget? Tu obijcis, uerbum Dei esse gladium spiri-
tualem. Quis negat? Sed quorsum id inculcas? Vt pro
bes non esse recipiendum, nisi quod ab ipsis Aposto-
lis omnino scriptum sit, quantumuis ab ijs alioqui
traditum esse probetur. Quid igitur? an Paulus, cum
illud, quod dixi, ad Ephesios scriberet, de sacræ scri-
pturæ corpore toto, quod nondum collectum erat,
loquebatur? Certè tunc maior pars nondum scripta
erat. Verùm etsi omnia & scripta & collecta fuis-
sent, & de ijs sermo esset: tamen nihil hoc pertineret
ad probandam tuam siue collectionem, siue conclu-
sionem. Atqui etiam causaris, Paulum ibi nullam fa-
cere mentionem Traditionis non scriptæ, ubi de ea
non agitur. Næ tu & ineptè & putidè id obijcis, ubi
ne scripti quidem ullius mentionem ullam facit A-
postolus. Simul uerò peruersè facis, quod nunc igno-
rare te fingas, alibi Apostolum meminisse talium tra
ditionum. Dicerem factum id abs te esse obliuione
quadam. Sed cum Paulum totum memoria teneas:
quæ potest esse obliuio? Paulus ad Corinthios, Lau-
do (inquit) vos quod traditiones retinetis, quem-
admodum vobis tradidi. Hîc tu ipse traditionum
siue παραδόσεων uerbo significari eas, quæ scriptæ

non sunt, nõ negas in cõmentarijs. Quid igitur quæstionis superest? Scribis eodẽ loco, nõ negare te, quin aliquæ fuerint Apostolorum Traditiones non scriptæ: sed non concedere, fuisse doctrinæ partes, aut de rebus ad salutem necessarijs: sed quæ pertinerent ad ordinem & politiam. Iam illud accipio, quod concedis, saltem aliquas fuisse de ritibus, de cæremonijs, de forma & gubernatione Ecclesiæ. Quod negas fuisse de doctrina, distinctio noua tuaq; est, cuius abs te probatio requiritur. Certè sine aliqua doctrina uix ac ne uix quidem ceremoniæ tradi possunt. Sed neq; in eo, quod negas, tibi satis constas. Nam cum aduersus Pyghium de traditionibus litigas, à cõcedis quoq; ad doctrinã aliquas pertinuisse, nec aliud postulas, quàm ut eæ demonstrentur ex certo & perpetuo orthodoxorum consensu, neq; ex priuato paucorum consensu, communis Ecclesiæ cõsensus fiat. Iustum id est, quod postulas. Sed etsi hoc præstetur, tu iam nihilominus contendis nullas fuisse traditiones, quæ ad doctrinam pertineant. Qua in inficiatione certè aduersarios habebis omnes & fidelissimos & optimos testes antiquitatis, quibus ignota fuit distinctio tua. Cum ijs itaque rem tibi esse scito, non mecum. Sed id postea uiderimus. Interea si iam tantùm confitearis traditiones quasdã fuisse de ritibus, illud ipsum tenebo & urgebo, quod satis est ut tu causa cadas, & te conuincam, quod po-

ſtremò & in uniuerſum negaſti, Paulum ullius Traditionis non ſcriptæ meminiſſe. Mira certè eſt hæc tua contumacia quotidie cum ætate increſcens: dicerem eſſe inconſtantem. Sed eſt inconſtantia, quæ impudentiam cumulat. Primùm non negaras traditiones etiam ad doctrinam pertinentes admiſſurum eſſe te, ſi legitima ſit probatio. Poſtea id ita negaſti, ut tamen, confeſſus ſis ſaltem aliquas fuiſſe, quæ pertinebant ad ritus, quorum Apoſtolus meminiſſet. Poſtremò & illud ipſum nunc mihi negare uideris. Eodem ad Corinthios loco exclamas, locum Pauli non pertinere ad Papiſtarum (ut loqueris) ſuperſtitiones, abominationes, pueriles ritus, & tyrannicas leges. Quod & tuus Beza eodem loco totidem uerbis inculcat. Sed nunc ea de re non quæritur, ô bone. Quæritur modo de Paulinis aut Apoſtolicis traditionibus. Itaq; nihil eſt, cur fruſtra te fatiges extra rem. Quia uerò in eo, quod ſuperiùs negaſti, urgendus etiã es, en te premit Paulus ad Theſſalonicenſes: State (inquit) & tenete παραδώσεις, quod accepiſtis vel per ſermonem vel per epiſtolam noſtram. Hic tu παραδώσεως uerbo ſignificari totã doctrinã ſcribis in tuis cõment. Rectè. Sed nonne deinde ſcriptæ & nõ ſcriptæ huius traditionis mentionẽ facit, cũ addit vel per ſermonẽ vel per epiſt. Nã & tu ipſe per ſermonẽ interpretaris, per conciones. Paulũ autẽ non niſi epiſtolas ſcripſiſſe (credo) cõcedes. Cõciones

eius omnes etiam scriptas fuisse, quia tuæ ambitiosè scribuntur, an dices? Exclamas *ridiculos esse, qui hoc loco abutuntur, ut fœtidam suarum superstitionum colluuiem uenditent: & totidem rursus uerbis tua illa simia (seruum pecus) id inculcat.* Rectè sanè. *Sed quid hoc, ad id, quod quærimus?* Ego *quidem certè non minus quam tu talem abusum execror.* Verum *de eo aliàs uiderimus.* Nunc *quod quæritur, expediendum est.* Vt *autem magis tibi confirmem, duos, quos iam citaui,* Pauli *locos, omnino pertinere ad id, quod in quæstione est, en magnos auctores, quos, si quid frontis habes, repudiare non audebis, tibi laudabo.* Chrysostomus *ex loco priori sic colligit. Ergo sine literis multa tradiderat.* Ad *locum posteriorem ait, Hinc patet quòd non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa quàm ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putauimus. Traditio est: nihil quæras amplius. Ostendit hic multos à traditionibus istis fuisse dimotos.* Hoc *Chrysostomi testimonium magnum est. quod, cum* Chrysostomo *plurimum tribuere sæpe soleas, quo ore reijcies? Sed si hoc tamen te non mouet, en alterum fulmen, quod etiam hominem ferreum perterrefaciat. Basilius (quem cum nomino,* Deus *bone, qualem quantumcunque in* Ecclesia *uirum nomino?) in causa & disputatione omnium*

grauis-

grauißima, nempe de Spiritu Sancto, cum affirmasset etiam Apostolicum esse quibusdam alioqui non scriptis traditionibus (ut ait) inhærere: ad id comprobandum, non nisi illum, quem iam citaui, locum Pauli ad Thessalonicenses allegat: & ex eo non dubitat sese euicisse quod contendit. Quid Epiphanius? cùm aduersus quosdam, ut se uocabant, Apostolicos, qui uerius Apotactici appellabantur, idem principium teneret atque urgeret, ad id confirmandum, contentus est altero illo ad Corinthios loco, καθῶς παρέδωκα ὑμῖν. Ac licet alioqui Chrysostomum minimè omnium amaret ac sequeretur, tamen hic cum illo facile conuenit. Tantus fuit hac in re, quam exagitas, ueteris Ecclesiæ consensus. Adiungit Epiphanius alterum eiusdem Apostoli ad eosdem Corinthios locum, tanquam suæ assertionis argumentum alterum: quem quidem locum uererer ne non importunius contenderes ab Epiphanio torqueri, nisi si scirem tibi satis supérque negocij esse, ut tuam eius loci interpretationem defendas aduersus tui Bezæ siue morosiorem censuram, siue audaciorem translationem. Vtut autem hic Beza tuus abs te sæpe dissentiat, cum de singulorum S. scripturæ locorum interpretatione agitur: tamen in thesi generali tibi subscribere, tametsi sæpe simulet, in uniuersum solet. Sic itaq; & in hac, in qua iam uersamur, quæstione, idem, quod tu asserens, alias pro-

bationes ex scriptura citat, sed eadem fide. Nam in *suæ scilicet fidei confeßione, nec dubitemus de hoc uestro axiomate, reijcit nos ad id, quod* Paulus *in quadam ad presbyteros* Ephesios *concione dixisse narrat* Lucas: *Non subterfugi quo minus annunciarem uobis omne consilium Dei.* At *si istud annunciare omnino significat scribere, mirum est hunc curiosum interpretem id in suis scholijs non annotasse.* Sed cum hoc dicebat Paulus, quã pauca etiamnum scripserat? Secundo loco Beza citat quod Paulus ad Galatas ait, *Etiamsi Angelus è cælo vobis Euangelizet præter id quod Euangelizauimus, anathema sit.* Quid hoc, obsecro, ad id quod probandum de scriptione suscepit? Imò uerò Augustinus inde probat planè contrarium. Nam, quia sequenti uersiculo Paulus repetens quod dixit, ingeminat istuc, *Si quis vobis prædicauerit Euangelium præter id, quod accepistis, anathema sit:* Augustinus notat nõ *temere dixisse præter id quod &c. non autem, plusquam id quod: Nam alioqui (inquit) Paulus sibi ipsi contradiceret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ eorum fidei deerant. Sed qui supplet: quod minus erat, addit, non, quod inerat tollit, &c.*

Vides mi uir, quàm tu cum tuis alienus hac in re sis abs Veterum iudicio. Imò uerò, quod magis forstasse miraberis, nunc tibi suggeram. Athanasius (quem uirum cum nomino & tibi iudicem fero, necesse

cesse est te cum tuis trepidare, si aduersarium esse audias.) Athanasius *(inquam) allegat illud, quod iam recitaui* Pauli *fulmen, ut eo fretus, anathema denunciare ausit, si quis præter hæc, quæ de diuinitate uel carne* Christi *rectè & religiose tradita, ac definita sunt in* Ecclesia, *aliud doceat, etiam ex diuinis (ut ait) literis. Sic enim loquitur, cum inanem colorem sacrarum literarum, quem hæretici ementiuntur, notat. En quam ille in eodem* Pauli *loco citando diuersus sit abs tuo* Beza. *Et tamen ne existimes illam* Athanasij *sententiam fortè displicuisse alijs* Ecclesiæ *fidelissimis antistibus: eam ipsam* Cyrillus *laudat, probat, amplectitur. Quid dicam,* Chrysostomum *ipsum in illo ad Galatas loco, notasse,* Paulum *ita detonare aduersus impostores, qui* Euangelij *nomen suis fraudibus prætexebant? Ergo* Beza *sentiens quærendum esse aliud præsidium, in eadem confessione, ad probãdum suum thema, confidenter citat quod* Paulus *ait,* Ephesios *superstructos esse super fundamentum* Prophetarum & Apostolorũ. Id *equidem rursus tam uerum esse fateor, quam ex eo non sequitur, quòd inde omnino consequi fingit hic interpres, etiam si accumulet, quod cum* Petrus *citasset illud* Iesaiæ, *Verbum domini manet in æternũ addidit: Hoc autem est verbum illud quod Euangelisatum est verbis. Sed quo artificio efficiet* Beza, *ut inde eliciat, uerum esse, quod uult & affirmat?*

Si

Si ita licet ratiocinari, cedo. Imò uerò, si hoc licet: quiduis euincam, conficiam, & colligam ex quolibet. Certè si hac conditione nihil non in sacris literis inuenturum se gloriatur, non miror. Sed miror hominem tam acutum, existimasse nos tam stupidios esse, qui hoc illi concedamus. Meritò sanè detestabiles sunt, qui in eam blasphemiam eruperunt, ut dicerent scripturam esse tanquam nasum cereum. Sed non minus execrari debemus nasutos impostores, qui eam tanquam nasum cereum inflectunt, & quocunque uolunt, tanquam Lesbiam regulam, detorquent. Equidem quoties ingeniosorum istorum mysteria propiùs intueor: credo, eos, cum uolunt solam nudam'que scripturam legi, intelligere solam & nudam, id est, cum eorum Commentarijs decuplo uerbosioribus coniunctam, cæterorum omnium, etiam ueteris Ecclesiæ, expositionibus expunctis. Sic enim facilè possent consequi, quod uolunt. Sed rursus esset necesse, ut ex ipsa scriptura probarent suos commentarios esse partim Scripturæ, & in hac illud de ijs prædictum fuisse: aliorum uerò scripta omnia facessere debere. En cur in hac causa de me triumphare tam insolenter debeant. At fortasse Beza in conuentu Posiaco, ubi tot socijs adiutoribus subnixus, tot auxilijs instructus, tot mensibus sedulò meditatus erat quod hac tota de re diceret in nobilißima Principum corona, cum sibi rem esse diceret cum magnis

aduer-

aduerſarijs, diligentius ſibi cauit, & hanc cauſam, quam antea male egerat, melius egit, Videamus. In eo (ut uocat) Concilio dixit, quod & poſtea ſcripſit, non dubitare ſe quaſdam non ſcriptas traditiones Apoſtolicas fuiſſe: ſed eas tantum ad ordinem & politiam pertinuiſſe. Rogatus eſt, quænam ea eſſent? & cur nullas ex iis ipſe obſeruaret? Dixit, pleraſque fuiſſe ad infirmitatem Iudæorum accommodatas. Sed an eæ ad ordinem & politiam Eccleſiæ pertinebant? An ſublato Iudaiſmo ſublatæ ſunt? an non aliæ etiam fuerunt? Cum urgeretur, aulicus baſiliator allegauit morem, quo ſolebant ueteres Chriſtiani ſeſe inuicem oſculo excipere. Arriſerunt auditores. Sed apage nunc cum tuis baſijs ſuauiſsime Theodore. Longè alia de re, alijs de moribus, ritibus, ceremonijs quæritur? Quæritur etiam de quibuſdam myſterijs religionis Chriſtianæ. Dixiſti, Chriſtum dixiſſe, Scrutamini ſcripturas. Rectè Et quidem de quibus tunc ſcripturis loqueretur, & qua de re conſulendas eas eſſe diceret, obſeruamus. Sed ut propterea non uetuit nos ſcrutari Apoſtolicas, quæ deinde editæ ſunt, literas, ſic neque prohibuit nos audire teſtimonia religioſa & uera de Apoſtolorum mandatis. Adiecit Beza, quod diuiti in Inferis demerſo Abraham reſpondiſſe narratur, nempe ut conſulatur Moſes & Prophetæ. Quis negat eos conſulẽdos, præſertim ea de re, de qua tunc quærebatur?

rebatur? Sed nostra nunc alia quæstio est, An ut nihilominus Apostolos etiam consulimus, sic audire debeamus fidelißimos testes, qui ut eorum scripta nobis indicarunt, sic & sententiam illustrant & mandata retulerunt? Cogor sæpius aduersarium fugitiuum reuocare ad statum quæstionis, ut intra eius metas, si poßim, hominem aliò excurrentem retineam. Inculcabat & alia quædam in sui magistri phrontisterio protrita huius generis ueluti carmina. Sed cum sentiret nihil agere se, si nihil præterea adferret, quod ad rem magis pertineret, cœpit in ea ipsa disputatione, qua solis scripturis agendum esse contendebat, allegare quædam extra scripturas testimonia, quibus euinceret quod uolebat. Citauit Tertullianum, Basilium, Hieronymum, Chrysostomum. Bene habet: incipit agere, ut agendum esse putamus. Sed hic rursus tanta esse meritò uisa est uentosi hominis uanitas, inscitia, impudentia, ut nunquam magis miratus sim, non modo cum sic agere, sed plerósque illi addictos tam nihil aut sentire aut uidere. Credo eum existimasse, quia in aula disputabat, sese auditores tanquam fungos contemnere posse, qui nihil intelligerent, nihil discernerent. Atqui alios, quàm aulicos, circumstantes uidebat. Tertullianum De præscript. Hæret. nescio qua fronte allegauit. Certè aut nunquam eum inspexerat, aut neminem inspexisse existimabat. Nullus enim liber

est

est,quem magis reformidare debebat, cum eum laudaret. Adeo confidenter abutebatur bonorum auditorum patientia. Adeo, quo loco, coram quibus, quid diceret, nihil pensi habebat. Responsum itaque illi est, eum librum esse, qui unus uehementißime contenderet non esse cum hæreticis agendum ex solis scripturis. Recitata sunt uerba Tertulliani: & præterea quod idem scribit in libro de Corona militis. Attonitus obmutuit bonus Beza, & cum sua acta orationésque suas Posiaci habitas ederet, diligenter sibi cauit, ne rursus Tertullianum, hoc est, aduersarium laudaret. Speranda nunc scilicet sunt meliora. Incipit Theodorus erubescere & propè resipiscere. Sed quomodo ausus est in hoc argumento testem laudare Basilium? Si quis est inter ueteres, qui prædicet atque tueatur παραδώσεις ἀγράφους, neque simpliciter uelit solis nudísque scripturis agi, is ille est. Testis est egregius eius liber de Spiritu Sancto, ut antea dixi. Beza, qui putabat sese rem non habere nisi cum hominibus rerum imperitis & ualde credulis, quibus facile imponere se posse gloriatur, dißimulat & supprimit librum quem dixi, & ex alio obscuro & propè apocrypho, & qui, an Basilij sit, etiamnum dubitatur, repetit truncata quædam uerba, quæ nihil aliud dicunt, quàm quod omnes & lubenter & prolixè confitemur. Vis, te adiuuem, Theodore? Allegare potius debueras, quod

Basilius

Basilius in epistola 80. scribit. Perge. Abuti similiter ausus es nomine Chrysostomi. Ex commentario, qui in illius sit, dubitatur, repetijsti quædam uulgaria de laudibus scripturæ, quæ nullus non ultro agnoscit. Intereà quod Chrysostomus in commentarijs uerè suis annotâuit ad Epistolam ad Thessalonicenses, de eo, de quo nunc quæritur, improbè subticuisti. Deniq; & cum non ignorares Hieronymum cõtra Luceferianos tam ualdè urgere quod dicimus, illud totum simili fide suppreßisti: & ex alio eius loco iactas illud uulgare, Nos maiorum nostrorum errorem sequi non debere, sed potiùs auctoritatem scripturæ. Atqui, Beza, quis hoc negat? quis de eo dubitat? Iam iam tum, cum te audiebam in tam nobili conuentu auditorioq; tam non respondisse multorum expectationi, tamq; ineptè egisse hanc causam, dubitabã, an ludere in re seria, an uerò præuaricari uelles, an potiùs Deus tibi mentẽ iusto iudicio eripuisset, ut oẽs uideremus extremã & pudendã et miseram tuã nuditatẽ: ut qui eam nõ uiderẽt, oculis capti esse uiderentur. Sed quocunq; tandẽ modo acciderit, ut sic ageres, certè te tuo iugulasti gladio, cũ laudasti testes quatuor, quib. potißimùm refelli poßis, & quibus habere non posses acriores aduersarios in causa, qua de agitur. Porrò meministi excitatum abs duobus theologis tunc ita fuisse te, ut nondum Dixi, dicere posses. Alter rogabat an proceßionem Spiri-

tus

tus sancti quam Græci negant, tu nobiscum confiteris, & pro articulo fieri habes, satis probare ex scripturis solis nudisq; posses? Non ausus es id polliceri. Alter rogauit, ecquid diceres de perpetua Mariæ uirginitate post partum? Ausus es negare, esse articulũ fidei. Atqui obiectum est, te in tua confeßione, articulis fidei annumerasse. Cum nutares iussus es legere librum Hieronymi *aduersus* Heluidium. Rogatus *es deniq; de baptismo infantum.* Hic *uerò exclamasti, satis superq; esse scripturæ, quia* Moses *iussit octauo die infantes, circumcidi. At* Christiani *ueteres potius allegant* Apostolorum *legem.* Et Cyprianus, *qui alioqui in causa baptismi erat seuerior, neque sola consuetudine contentus esse solebat, non tulit eos, qui exemplo circumcisionis contendebant infantes non esse baptizandos ante octauum diem.* Nihilominus *enim consuetudinem* Ecclesiæ, *ut statim baptisentur, laudat* Epist. 8. *lib.* 3. & Augustinus *hoc* Cypriani *iudicium confirmat epist.* 28. Neque *uerò non citat etiam exemplum circumcisionis, cum probat infantes rectè baptizari. Sed quam in eo tamen solo non hæreat, quamq; potius testimonium* Ecclesiæ Apostolos *auctores laudantis obtendat, ut hunc morem baptisandi licet literis sacris non expressum, probet nihilominus esse* Apostolicum, *non non ignoras.* Prætereo, *quod in eodem* Conuentu *audijsti, uerendum esse, ne si solo circumcisionis*

 exem-

exemplo defendas baptiſmum puerorum, puellas nō eſſe baptiſandas, qui olim non circumdebàntur, decernas. Meminiſti quinam arriſerint, cum hoc tibi diceretur, & te nihil reſpondente, quam tui, qui aderant, erubuerint. Sed tibi in aula, Ambroſiano ſcilicet more, diſputanti, aulicè illud fortaſſe obiectum fuit.

Dixi de teſtimonio Veterum, ubi de probatione facti quæritur. De eorum priuatis opinionibus, atq; adeò Scripturæ interpretationibus & expoſitionibus, altera quæſtio eſt. Ac ego quidem Caluine, cōcedo non plus ijs tribuendum eſſe, quàm uelit Auguſtinus. Itaque ne labora, lubenter & prolixè fateor obſeruandum hic eſſe, quod ille hac de re ſcripſit in Epiſt. 19. 111. 112. & lib. 2. contra Creſcon. cap. 31. ubi de ſcriptis Patrum loquitur. Sed nihil unquam magis miratus ſum, quàm quod in tua contra me declamatione, cum Traditonis ſubſidium oppugnares, non ſolum exclamaſti. Quid iam fiet præcipuis fidei noſtræ capitibus? ſed & exempli cauſa addidiſti, naturæ noſtræ corruptionem, & iuſtificationem, & Chriſti ſacerdotium, apud uetuſtiſſimos Scriptores ita obſcurè attingi, vt nulla inde certitudo poſſit elici. Qui fieri potuit, ut hoc tibi excideret, & tali cenſura Patres illos omnes iugulares? Cum in tua inſtitutione diſputares de ſeruo uel libero hominis arbitrio, ſemel quidem dicere auſus es, ueteres

omnes,

omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut uariare, aut uacillare aut perplexè loqui, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat. Hoc tantum dixisti in illo uno capite, & tamen addidisti uoculam ferè, & Augustinū saltem excepisti. Nunc (ut cum ætate crescit audacia tua) in pluribus & præcipuis fidei capitibus sine ulla exceptione cōfidentissimè omnes damnas cuiusdam capitalis cæcitatis, erroris, ignorātiæ, inscitiæ. Cum tuam institutionem ederes, Adeo (inquiebas) illos non contemnimus, ut nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis dicuntur, ipsorum suffragijs comprobare. Nunc adeò illos non modò contemnis, sed & proculcas, ut ex ijs nihil certi elici posse affirmes in præcipuis fidei nostræ capitibus. Antea non modo Augustinum, quem fidelissimum testem religiosæ antiquitatis uocabas, & in singulis propè capitibus laudabas, & collectam ex eius libris epitomen istic etiam editā confitebaris esse doctrinæ Christianæ epitomē, sed & alios eius ordinis scriptores Ecclesiasticos semper in ore habebas: atq; etiam ex ipso Bernardo repetebas, quod ex omnibus scriptoribus Ecclesiæ elici posse iam negas. Quid? An nobis illusisti, cum toties eos antea laudabas citabasq;? Imò uerò, si uerum sit quod ais, nihil certi posse elici, fuerunt profectò illi aut impostores aut cæci. Si ita sit, Ecclesia, quæ alios non habebat doctores, multo magis cæca & in-

 certa

teris, ex quibus repetebant suam doctrinam, nihil certi elicere potuisse. Quæ consequentia, ecquò tandem euadet, etiam atq; etiam cogita.

Spero equidem tibi imprudenti & irato temerè excidisse tantum illud nefas: quod iam fortasse dictũ nolles. Sed tantò magis opto, ne pudeat confiteri hoc peccatum: & ut reuoces quod incautè effutijsti. Ni feceris: dicent omnes boni, nullum unquam Lucianum contumeliosius atque indignius de ueteribus Christianis locutum esse. Ego quidem certè, iniuriã tam intolerabilem esse sentio, ut (licet ferre uel audire non poßis apostrophem inuocantis appellantisue sanctos illos patres) tamen erumpentem cum indignatione uocem doloris mei diutius comprimere non poßim.

Tunc Irenæe (ex multis paucos qui magis excelluerunt, & quorum scripta maximè celebrantur, appellabo) tune Irenæe, qui inter uetustißimos illos, quos iste censor nunc notat, ueluti princeps es, qui Polycarpum Ioannis Apostoli auditorem audijsse te scripsisti, nihilne certi aut retulisti, aut nobis reliquisti, de illis primis Christianæ religionis capitibus, cũ tamen aduersarios hæreticos acerrimè refutaueris? Tune, qui ex Oriente in Galliam attulisti eam doctrinæ lucem, ut etiam dictus fueris ὁ φωστὴρ τῶν ἑσπερίων γαλατῶν æquis nunc auribus audies, post tot secula, abs eius gentis Gallo uno te pro quodam

tenebrione haberi? Tune Cypriane qui in Africa fuisti, quod Irenæus in Gallia: tu, qui Nouatum tam acriter refutasti, ut doctrinam remißionis peccatorum, hoc est, Christi beneficium defenderes, nihil ea de re certi, uel habuisti uel tradidisti? An qui te olim Coprianum uocabat, maiori te affecit ignominia, quam qui hodie negat ex tuis libris cognosci posse illud caput religionis nostræ?

Tune maximè Athanasi, qui olim dictus es Pater rectæ fidei, columna Ecclesiæ, oculus orbis, lampas Christi: (ut Nazanzenus, et Epiphanius testes sunt) tune, qui Christi æternam diuinitatem & diuinam οὐσίαν aduersus Arrianos unus constantißimè atq; fortißimè defendisti, de eius officio & beneficio, nihil certi docuisti?

Tune Magne Basili, qui uerè fuisti, qualem te in tuo funere descripsit Nazanzenus: tu, ex cuius uel una Homilia, quæ est de pœnitentia, uel ex una & altera sententia, quæ extat in tua concione de humilitate animi, tam liquida, tam certa, tam aperta doctrina de Christi beneficijs & salute nostra repeti potest: Ecclesiam & posteritatem nō docuisti, quod imprimis sciendum est?

Tune Ambrosi, quem scriptorum Ecclesiasticorum inter Latinos florem quendam speciosum enituisse, ita ut tuam fidem & purißimum in scripturis sensum reprehendere, nec inimicus auderet, Augu-

stinus

stinus scripsit contra Pelagianos: tune, etiam ut cæcus, incertus, impurus, squallidus Ecclesiæ doctor, hodie reprehenderis ab hominbus, qui tibi alioqui inimici uideri nolunt?

Tune Ioannes Chrysostome, quem uniuersa Ecclesia laudare hactenus non potuit satis: tu, (ut ait) in fide catholica eruditum & erudientem Augustinus contra Pelagianos, iudicem, ab aduersarijs licet oblatum, minimè recusat, nihil certi pronunciasti, quo & Pelagiani reuinci, refelli, damnari possent? Túne Augustine (ut alios non commemorem, & in uno maximo, certißimo, fidelißimo doctore desinā) tot libris, tot aduersus Pelagianos disputationibus, quibus etiam immortuus es, nihil certi tradidisti de nostra iustificatione, in qua una tractāda uersabaris? Imò uerò cum aduersus Iulianum dimicares, non te modo sedulò & certò id docuisse, sed & uetustiores patres fideliter & constanter id præstitisse, ostendisti. Ausus erat Iulianus iste Pelagianus iuuenili quadam siue insolentia siue confidentia elatus ad eos prouocare, existimans saltem nihil ex ijs certi elici posse, quod non diluderet. Tu uerò Augustine, sciens eos & doctos, & fideles doctores Ecclesiæ fuisse, nihil antiquius habuisti quam ut eum ad eos reuocares. Nam & si (inquit) ponam pauca paucorum, tamen nostri contradictores cogentur erubescere, si vllus in ijs vel Dei timor,

vel hominum pudor, tantum malum peruicaciæ superauerit. Tum uerò exorsus ab Irenæo, satis Augustine habuisti, quod unam eius sententiam laudare potueris, docentis antiquam serpentis plagam, fide Christi & cruce sanari. Ex Cypriano, ex Hilario, ex Basilio, ex Ambrosio, ex Ioanne Chrysostomo citas Augustine complura, & singulos ijs elogijs ornas, quos alioqui omnes uocas Ecclesiæ lumina, ut aduersarius attonitus obstupescat. *Si (inquis) illi & ex Apostolis ista didicerunt, & secundum Apostolos ista docuerunt quid me vnum appetis? Ipsos aspice, ipsos etiam atque etiam, deposito paulisper tumore ceruicis, intuere. Itáne tandem, iuuenis confidentissime, consolari te debes, quia talibus displices, an lugere? Proposuimus auctoritatis molem sanctorum, qui Episcopi ante nos non solum sermone, cum hîc viuerent, verumetiam scriptis, quæ posteritati relinquerent, fidem Catholicam strennuè defenderunt, &c. Item, Tales ac tanti viri secundum Catholicam fidem, quæ vbique toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera esse confirmant, vt vestra fragilis & quasi argutula nouitas sola auctoritate conteratur illorum præterquàm quod ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur, &c. Item, At ego, vbicunque sis, vbicunque legere ista poteris, te ante istos in tuo corde constitui, quos non amicos meos & inimicos tuos in hac nostra disceptatione constitui cognitores. Nec eos, qui nunquam fuerunt*

runt, aut non sunt, aut quorum sententiæ, de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi: sed sanctos, & in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & zenonicis alijsque huiusmodi vel Græcis vel Latinis, quanquam & istis aliquos eorum, sed omnes sacris literis eruditos, nominatim, sicut oportebat, expressi, eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine vlla æditas ambiguitate, digessi, vt in ijs timeas non ipsos, sed illum, qui sibi eos vtilia vasa formauit, & sancta templa construxit, &c. Item, Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt, &c. Item, Isti Episcopi sunt docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, aduersus garrulas nouitates: in quorum ratione, eruditione, libertate, (quæ tria bona Iudici tribuisti) non potes inuenire, quod spernas, &c. Item, Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit, &c. Item, Ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos? An quia non numerandas, sed ponderandas censes esse sententias? & addis, (quod quidem & ego verum esse consentio) ad aliquid inueniendum multitudinem nihil prodesse cæcorum: etiam istos cæcos dicere audebis? Et vsqueadeo permiscuit imis summa longus dies: vsqueadeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Pelagius, Cælestius, Iulianus, &

cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qua-lisc unque homo sis, tamen quia homo es, videre mi-hi videor verecundiam tuam, (si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis) & quodammodo audio vocem tuam: respondes; absit vt audeam cæ-cos istoc viros, vel cogitare vel dicere. Eorum ergo appende sententias. Nolo esse plures, vt eas te pigeat numerare. Sed non sunt leues, vt eas dedigneris ap-pendere: imò tam sunt graues, vt te videam sub ea-rum onere laborare, &c. Sed neque prætereundum est, quod in eodem libro Augustinus rectè admo-net.

Alia esse, in quibus (ut ait) inter se aliquando etiam doctißimi atque optimi regulæ catholicæ de-fensores, salua fidei compage, non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & veri-us. Sed hoc negat Augustinus accidere in ijs, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta: qualia esse ait, de quibus contra Pelagianos agit. Denique ut ex-emplum exprimat, ait: *Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: si-cut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo om-nes viuificabuntur: totum quod in Christum credi-mus, auferre molitur, &c.*

Feres æquo animo, æquißime Caluine, mihi si iam temperare non potuerim, quin ex Augustino tam multa describerem. Lubenter utor eius uerbis,

& tu

& tuijs uti lubenter soles. In hac autem causa non reperi, quibusnam potius te compellarem. Neq; uerò in sanctis illis Patribus næuos etiã adoramus, neq; non in singulis errores aliquos fuisse, aut ignoramus aut dißimulamus, neque homines fuisse nescimus. Sed quod ex uniuersis eorum omnium scriptis negas elici posse certi quippiam de officio beneficióque Christi, siue de eius sacerdotio, & iustificatione nostra: illud uerò est quod ferre, quod pati, quod concoquere nõ possumus. Iterum dico & profiteor hic me obseruare quod ipse Augustinus in Epist. 19. ad Hieronymum scribit, quodq; est tam tritum, ut & ipse Gratianus id retulerit in suam Rhapsodiam. *Ergo* (inquit *Augustinus*) *solis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errare, firmißimè credam, &c. Item, Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo: prorsus, inquam, non te arbitrior sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum & Apostolorum: de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est, &c.* Vt ut autem interpretum alia sit conditio, alia auctorum ipsorum auctoritas: tamen necesse est fatearis, Caluine, cum interpretibus erit opus, in obscuro aliquo loco, expositionem consentientis antiquitatis, quæpiam sententiam tuetur, imprimis audiendam esse: neque hanc temere esse postponendam alicui

siue tuæ siue alterius nuper inuentæ interpretationi. Cum quæritur de sententia horum uerborum Ioannis, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, &c. non dubitas interpretationem ueterum, tam aduersus Arrium quàm Samosatenum, sanam & ueram esse, ut est Orthodoxa. Sed de alijs quibusdam non dißimilibus locis potest incidere quæstio, in qua et similiter iudicare debemus, & te audaciorem fuisse miramur.

Vnum ex multis, quod nunc fortè occurrit, proponam illustre exemplum, in quo si tu intelligere nolis, at certò alij intelligent, ecquò euadat audax temeritas hominis fastidientis religiosam simplicitatem simul & consensionem Vetustatis. Qui in libris Mosis primus occurrit locus de Christo, eiusq; siue officio siue beneficio, est ille, qui loquitur de Semine mulieris, quod conteret caput Serpentis. Id propriè & specialiter intelligi de Christo, & Irenæus testis est, & uniuersa, quæ eum secuta est, Ecclesia: adeò ut ipse tuus Melanthon millies, id tanquam certißimum axioma, inculcet. Tu tamen & primus & unus ausus es negare, de Christo ibi propriè agi, & potiùs ad omnes homines fideles locum illum pertinere contendis. Magna hæc profectò est quæstio & maxima de re. Cur uerò in ea tibi potiùs quam Irenæo & ueteri Ecclesiæ fides habebitur? Nã neque uerba neq; res tibi potiùs suffragantur. Græci interpretes, quibus phrasis Hebraica non aduersatur,

tur, quamuis paulò ante posuissent σπέρμα, hoc est, semen, tamen deinde uertunt ἀυτὸς, hoc est, ipse, ut liquidiùs appareat agi de ipso Christo: atque etiam ita pleriq; Latini locum illum transtulerunt. Imò uerò in Biblijs postremò istic excusis cum tuo priuilegio, hæc una interpretatio Scholijs ascripta est. Si falsa est, cur eam non expunxisti? Prætereo quod Chaldæus paraphrastes Catholicæ expositioni suffragatur. Ipsa Hebraica uox Hu, qua Móses hic usus est, de ipso Christo sæpiùs dici, alij etiam ostenderunt. Tu urges uerbum seminis, quod ais esse collectiuum, ut pertinere hic intelligatur ad uniuersum genus hominum saltem fidelium. Atqui Apostolus in simili promißione facta Abrahæ, nominatim notat & obseruat, Scripturam hic usam esse numero nō plurali, sed singulari, ut Christum indicaret. Cur igitur aliam nunc grammaticam opponis? Ipsam etiam ipsam Euam promißionem illam intellexisse de uno aliquo homine apparet, quamuis de Christo non cogitaret, liquet. Nam filium suum primogenitum cogitauit esse Semen illud promissum, quod cō tereret caput Serpentis. Quem in hac hypothesi errorem cum notat Moses, an non rursus tamen indicat promißionem esse specialem de quodam semine? Sic & Abrahamus similem promißionem initio nō satis est assecutus. Sed nemo tamen dubitat fuisse de Christo. Quid igitur est, Caluine, cur hoc loco tuā,

quæ noua est, interpretationem ueteri anteponemus? Soles dicere, Paulum ad Romanos, uelle ad fidei analogiam formari omnem prophetiam, & hanc posuisse certißimam amußim, qua probari debeat scripturæ interpretatio. Sed tu rursus in eius loci interpretatione hallucinari uideris: & ipse domesticus tuus censor te admonuit, Paulum eò non respicere, cū ibi loquitur de analogia fidei: sed hoc potius uelle, ut quisq; modum reuelationis suæ teneat, ne unus scire omnia sibi uidetur: quæ admonitio subinde tibi suggerenda esset. Verùm sanè dixerit Paulus, quod uis, interpretationem scripturæ estimandam esse ex ratione fidei, hoc est, ut ea potior interpretatio sit, quæ omnem Deo gloriam tribuit. Hæc rursus regula dictabit locum illum Mosis potius accipiendum specialiter esse de Christo. Nam & hoc ad eius gloriam pertinet, ut ille demū Serpentis caput contriuisse credatur. Nolo te propiùs urgere. Illud tantum obiter dicere uolui, Scripturam in talibus locis temere non esse abs ueteris Ecclesiæ intelligentia ad nouas & insolentes expositiones traducēdam. Sed tantò magis, tui quoque Bezæ seruilis peruicacia hic deprehenditur, qui cum propterea audiret reprehensum esse te abs quodam Germano doctore, uoluit, quo iure, qua iniuria tueri tuam interpretationem, tametsi nihil haberet, quo eam defenderet. Fortasse, si priuatim alioqui rogatus fuisset de eius loci intelligētia, aliud

quip-

quippiam dixiſſet:ut minori ſæpe occaſione diſſentit abs tuis interpretationibus. Sed quia ſuſceperat aduerſus Heshuſium defenſionem in tui honoris, quiduis faciendum ſibi eſſe ſtatuit, potiuſquam aduerſario quicquam concederet. Hæc enim eſt tui procuratoris religioſa ſcilicet ingenuitas. Imò uerò ipſemet ſuam hanc prauitatem prodidit. Nam quo tempore aduerſus illum Heshuſium defendebat tuã illam nauam interpretationem, eodem cã tempore, ſcribens ſuæ fidei confeßionem, improbauit, & promißionem de ſemine, hoc eſt, Chriſto, quæ facta dicitur Geneſ. capite 3. eandem eſſe annotauit, quæ eſt repetita Geneſis capite 12. & 18. & 22. En qua fide & dexteritate hi boni uiri, cum lubet, uerſant & uoluunt Scripturas. Hæc cum iam fortè ſcripſiſſem, inuiſit me alter quidem Germanus Concionator, qui tua cauſa iampridem miſero exilio iactatur: obtulítque mihi libellum quendam ſuum, in quo rurſus reprehenditur noua illa tua interpretatio ſuperioris loci Geneſeos, & ſimul quod in tua Harmonia ſcribis, ex Genealogijs Chriſti, quæ habentur in Matthæo & Luca, non poſſe certò probari, Mariam eſſe ex ſtirpe Dauidis: quod'que in re tam ſeria, ſecuritatis inſimulas Euangeliſtas: denique quod ſcribis Chriſtum non naturaliter, ſed legaliter eſſe ex ſtirpe Solomonis genitum. Addebat, ſeſe uehementer mirari, cur cum diceres

eſſe

esse nec esse, ut Meßias sit ex stirpe non tantum Dauidis, sed etiam Solomonis, tamen dicas stirpem Solomonis extinctum esse in Ochozia. Tu talibus, cum uoles, accusationibus respondebis. Ego nihil præiudico: neque iam aliud uolui, quid amicè te monere, ut in ijs præsertim Scripturæ locis, in quibus sunt capitales principaléq; ueluti theses nostræ religionis, tibi temperes, ne has temerè conuellas, dum in illis repudias traditam magno Ecclesiæ ueteris consensu intelligentiam: atq; ita te contineas, itaque agas, ne dum subinde clamas ex solis nudisq; scripturis iudicandum esse, rursus uidearis uelle de his iudicari ex tuis solis Commentarijs.

Tu in tua contra me declamatione intonas, quod ait Dauid, Legem esse lucernam pedibus fidelium, certumq; lumen: quodq; Iesaias, Deum non in abscondito locutum esse: quodq; Petrus, scriptas prophetias esse instar lucernæ ardentis in loco caliginoso. Sed quorsum hæc? An ut interpretũ ueterũ expositionẽ omnẽ expungas? Atqui consequetur, & tuam multo magis expungendã esse. Neq; tamen ignoras Dauidem eo loco aliud agere: minimè autem loqui de uniuersæ scripturæ corpore, quod nondum erat: proptereaq; nec Iesaiam eo respicere. Petrus autem dum lucernam ardere ait in loco caliginoso, saltem caliginem in hominibus esse fatetur, quæ sit discutienda, Itaq; addere debebas, quod fatetur, ipsum Paulũ

in

in suis Epistolis locutum esse de quibusdam, quæ sint δυσνόητα. *Et uerò, an non subinde dicere & cõfiteri debemus, quod ille Eunuchus Iesaiam legens respondit Philippo Apostolo? Vis, plus aliquid dicam? Augustinus in Epist. 14. ad Hieronymum scripsit, Scripturas esse uel obscurißimas: ut mirum non sit si in earum expositione Hieronymiana quædam à recta linea discrepare uideantur. An id quoq; audebis calumniari, cum non nescias hominum caligantium culpa, & uitio, & hebetudini hanc obscuritatem accepto ferri? Prætereo quod ipse tuus Hyperius lib. 2. de studio theologico, exponit quindecim aut sexdecim esse causas obscuritatis in lectione scripturæ, Nam & nihil est causæ, cur nunc tecum ea de re contendere uelim. Sed ut uno uerbo tibi dicam: equidem sentio non temerè olim scripsisse Iustinum, quod scripsit in expositione fidei. Quia fortasse non dignareris locum inspicere, si quærendus sit, uerba tibi offeram & describam.* Πολυχιδὲς μὲν τῆς θείας διδασκαλίας τὸ σχῆμα, συναιρεῖται δὲ ὡς ἐν κεφαλαίῳ, εἴς τε μάθησιν ἐντολῶν, καὶ φυλακὴν, εἴς τε τὴν θείαν γνῶσιν, καὶ προσκύνησιν. οἱ τοίνυν τῆς εὐσεβείας ἐρασταὶ, τὴν μὲν τῶν ἐντολῶν φυλακὴν καὶ μάθησιν κατ' οὐδὲν ἀγνοεῖν πειράσονται, καὶ πρὸ τούτων γε τὴν θείαν προσκύνησιν. τὴν γε μὴν τῶν θείων γνῶσιν βουλή-

σονται μὲν ἰχνεύειν εἰς δύναμιν, ἐπιτονοῦντες δὲ, προσκυνήτωσαν ὡς ἀνέφικτον.

Longior hic fui, quàm initio institueram, Caluine. Necdum tamen abs te omnia, quæ definienda imprimis hoc loco essent, quæsiui. Sed nescio quomodo hic dubito, an te liceat consulere: saltem hoc mallem magisque auderem, si ageretur de interpretatione iuris Ciuilis & legum, ubi tutò quæritur, quænam sit ars æqui & boni: ubi de iure certo & de incerto uel dubio liberè agitur: ubi est contentio scripti & uoluntatis, siue τοῦ ῥητοῦ καὶ τῆς διανοίας: ubi liberiùs disputatur, quomodo diiudicandæ sint controuersiæ, quæ nasci dicuntur uel ex iure, uel scripto, uel ex uerbo: & quidem rursus ex scripto tripliciter nasci dicuntur, nempe aut ex scripti ambiguitate, aut ex scripti sententiæq; dissensione, aut ex contrariè scriptis.

An in sacrosancta scriptura & iure diuino existere poßint tales quæstiones, & quatenus poßint, & quibus regulis definiendæ sint, & quo arbitro decidendæ, tu nos, cum uoles, docebis, & experiendo fortaßè disces, subsidia præsidiaq; nobis abs religiosa Antiquitate relicta, neq; temerè esse contemnenda, neq; fastidiose repudianda.

Memini, cum in Posiaco conuentu tuus Beza (nā & ad eum redeundum nunc est) tractaret de Ecclesiastica interpretatione Scripturæ, ita cōfuse egisse,

ut

ut incertiores, quam antea, reliquerit suos auditores. Dicebat quidam uerum esse, quod Paulus ait, hominem naturalẽ cognoscere ea quæ Dei sunt, quodq; Petrus, Scripturas non esse priuatæ interpretationis. Subijciebat uerò, Si tanta sit earum obscuritas, cur Christus nos iubet eas scrutari? & quid fecissent ij, qui non nisi scripta Apostolica legerunt, antequã scripti essent vlli Commentarij? Atqui cum Christus iubet nos scrutari scripturas, non uetat nos uti subsidio uel auxilio piorum interpretum, quales nũquam defuerunt: neque si olim Commentarijs, quales postea nimirum fortasse multi editi sunt, destituti fuere Apostolorum discipuli maiori: propterea beneficio caruere, cum & recentis traditionis certo testimonio, & uiuæ uocis ministerio adiuuarentur.

Hic ego desinere uolebam, quia iam ijs, quæ aduersum me tumultuariè scripsisti de Scriptura deq; Traditione, satisfecisse me putabam. Sed nescio quomodo tuus ille Beza nos petulanter prouocando, desinire non patitur, qui tamen in illo Conuentu longius progressus ita se implicuit, ut si parum adiuuerint nutantem, quæ eodem tempore aduersum me scribebas de scriptura: multò minus tuæ traditiones aut liberarint aut extricarint hærentem in suo reatu, cum ad tuæ missionis suæq; legationis rationes reddendas reuocatus esset. Itaq; sic discessit,

ut si quos in multorum animis reliquit, non tam aculeos, quam scrupulos, non eximas, ipse in eodem luto hærere uideberis. Ego breuiter narrabo factum: de iure alij iudicabunt, simulq; statuent, quam debeat & sibi placere, & alijs insultare hic miles gloriosus, & quos ex illa disputatione Posiaca triumphos reportarit, quibus elatus tam superbè nunc cristas attollat. Posteaquã, mi Beza, tam feliciter, quàm antea dictum est, eluctatus es ex quæstione de traditionibus, transijsti ad alteram, quæ est de ordinaria successione Episcoporum. Dicebas hanc successionem magnoperè in Ecclesia esse laudandam, si eius argumento & testimonio rectè utamur, ut Irenæus, Tertullianus, Augustinus usi sunt. Atqui perijsti, mi magister, si eos agnoscis tali enumeratione rectè usos esse ad repellendas (ut ipse ais) hæreseωn nouitates: & ad suam Ecclesiæ perpetuam continuamq; possessionem defendendam. Dicebas, successionem personarum cum successione doctrinæ coniungendam esse. Nam & istud ex præceptoris tui dictatis repetebas. Rectè. Hoc quoque tibi in eo Conuentu concessum fuit. Sed rogatus es, quando diuulsa sit, quæ tempore Augustini (ut fateris) etiámnum coniuncta erat, utraque successio: & quæ tandem mutatio doctrinæ ita recepta fuerit, ut successionem illam planè interruperit. Successionem atque consensionem doctrinæ sufficere dicebas, si esset saltem in articulis uel

capiti-

capitibus, in quibus est ueluti substantia & fundamentum religionis.Pulchrè.Nam & uisus es ea capita intelligere, quæ Symbolis breuiter inclusa sunt, & quæ tempore Augustini Ecclesia uniuersa etiámnum amplectebatur. Quando uerò ea repudiata sunt,ut liqueret,rogatus es, quando statuas successionem illam planè defecisse, quam generaliter tantum & confuse dicis iampridem defecisse atq; desijsse. Sed minimè illud explicuisti,quod quærebatur. Et cum tu quænam successio sit tua, tuiue magistri, aut Ecclesiæ tuæ, ut diceres, rogatus esses, rursus obmutuisti. Adeo in illo auditorio pudens eras. Sed multò magis attonitus perculsusq; hæsisti, cum de uocatione, cuius auctoritate administrationem doctrinæ atque Sacramentorum usurpabas,hoc est,de iure,ratione, & probatione tui ministerij interrogareris: cumq; quis tibi manus imposuerit, & quo auctore, quoue exemplo imposuerit,quæreretur.Meministi, Theologum quendam magnum, eo tempore tibi tuisq; administrationē sacramentorū inuadentibus, obiecisse, quo olim Athanasius Ischyræ Arriano. Macharius (dicebat) Athanasij presbyter Ischyram illum sacris operantem obturbauit, Mensan sacram euertit,Calicem confregit.Athanasius defendit ritè factum, quia Ischyras legitimus Ecclesiæ minister non erat.Cur ita?Quia legitimè ordinatus non erat, nec Ecclesiastica manuum impositione consecratus.

Itaque etiam negat Athanasius in illius sacris fuisse mysterium corporis & sanguinis Domini.

Deinde tibi obiectum est, quod Epiphanius scribit aduersus quendam Zachæum, qui (ut ait) ἱερουργίαν, λαϊκὸς ὤν, ἀφειδῶς ἐπεχείρει, καὶ τολμήρως ἁγίων μυστηρίων ψαύειν, sicuti & alios Epiphanius reprehendit, qui ea, quæ Episcoporum sunt, sibi arrogare ausi sunt, μὴ δεξάμενοι ἐπισκοπῆς χειροθεσίαν. Sic enim eo loco legendum esse audio.

Postremò tibi allegatum fuit tui Buceri exemplum iudiciumq́ue, qui suum ministerium defendebat, quo aliquando de more ordinatus fuisset ab Episcopo. Sed & ex Sleidano citatum fuit, quo Luterus ipse scripsit ad Senatum Mulhusium de Muncero concionatore: Rectè facturum Senatum, si roget ex Muncero, quis docendi munus ipsi commiserit, quis euocarit? & si Deum nominet auctorem, tum iubeāt eum hanc suam uocationem aliquo euidenti signo comprobare. quod si repræsentare nō poßit, ut tum repudietur. Hoc enim esse Dei proprium & familiare, quoties formam consuetam & rationem ordinariam uelit immutari, ut tum uoluntatem suam aliquo signo declaret.

Sic igitur & tu Beza interrogatus fuisti de tua uocatione, & à quo tandem, uel missus esses, uel potestatem ministerij accepisses. Quid tu ad hæc?

Petrus

Petrus Martyr, qui tibi aßidebat, in aurem insusurrabat, ut plane negares ullam requiri impositionem manuum. Primum tamen confeßus es, eam in ordinaria uocatione esse necessariam: & te tuosq; inuicem ea uti, dixisti. Replicatum est, esse necesse, ut altius repetita origine auctor laudaretur, ut legitima sit succeßio, & continua quadam serie ad Apostolos referri poßit hæc χειροθεσια. *Non apparere autem, à quo Caluinus eam acceperit, quem tu tuũ auctorem laudas. Quod autem non acceperit, non posse alteri impertiri uel communicare. Hic rursus tanquam deprehensus hæsisti. Quid uerò, quid si adiectum fuisset, quod Cyprianus scribit ad Magnũ de Nouato, lib.1.epist.6. Quærebatur, an Nouatus rectè baptisaret & offerret, præsertim cum Ecclesiasticis etiam formulis & ceremonijs uteretur? Cyprianus negat. Nam (inquit) Episcopus computari non potest, qui Euangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est. Habere nanque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. Reliquam illius Cypriani Martyris Epistolã non adscribo, quia longior sit. Et fortasse illa, licet allegata nõ esset, tibi in mentem ultrò ueniebat Posiaci. Ergo cũ nutares, ad tui Petri Martyris consiliũ, quod prius*

esse tuam, & olim multorum Prophetarum fuisse, dicebat. Replicatum est, mirum esse, cur nullum huius extraordinariæ uocationis, cum qua tuam comparares, exemplum ex historia Ecclesiæ Christianæ, quæ post Apostolos fuit, proferatur. Permissum est tamen, ut Prophetico exemplo utereris. Sed audijsti, Prophetas olim extra ordinariam illam suam & arcanam uocationem singulari aliquo, certoq; signo, ueluti miraculo, testatos esse, quòd Deus ediderit, ut impostoribus, qui extraordinariam quoq; uocationem mentirentur, uiam obstrueret. Debere ergo te, aut signum testimoniumq; diuinum tuæ nouæ uocationis dare, aut aliquem Prophetam, qui sine eo extra ordinem sit auditus, ostendere. Hic rursus, Theodore, tanquam constrictus substitisti, nec quo te uerteres, sciebas. Et tamen, ne cum obmutuisses obmutuisse dicereris, postea edens acta tua, finxisti aliquid. Quidnam? In quibusdam, at non in omnibus, Prophetis uerum fuisse, quod dicebatur de extraordinario testimonio extraordinariæ uocationis. Atqui, acutißime Propheta, exponere debueras, in quibus tandem id uerum non esset. Nam illud erat, quod tantopere abs te requirebatur. Fortasse facilius tibi fuit, tuæ uocationis singulare testimonium dare. Quodnam? Dixisti suo te tempore tale daturum esse, ut nullus relinquatur locus dubitationi. Nempe sciebas, prospiciebas, prædicebas, quod

paulo

paulopoſt, bello inflammato, facturus eras. O miraculum magnum & admirabile. Imò uerò dices te citaſſe atq; allegaſſe, quod ab ignoto quodam auctore ſcriptum eſt in quodam Dialogo de lxv. Quæſtionibus, qui extat inter opera Auguſtini. Quid illud tandem eſt? Ibi ſcriptum eſt, quoſdam mitti à Deo, non per hominem: quoſdam à Deo per hominem: quoſdam per hominem tantum: quoſdam per ſe. Rectè. Sed quæritur, ex primo, an ex poſtremo genere ſis? Tu uoluiſti ex primo uideri. Cur ita? Quia eodem loco ſcriptum eſt, illum uideri à Deo miſſum, quem non paucorum hominum laudatio uel potius adulatio eligit, ſed quem uita & mores optimi, & Apoſtolicorum actio commendat ſacerdotum: qui uniuerſorum populorum iudicio comprobatur: qui non appetit præeſſe. Atqui, optime Theodore, reſponſum tibi fuiſſe meminiſti, fore, ut ſi ex tali regula æſtimetur legatio uel mißio tua, tu abs te potius, quam à Deo, miſſus uidereris. Non enim (ut aduerſarius dicebat) te commendat uita tua, quæ potius te infamat: non ſuffragatur tibi actio Apoſtolicorum uirorum: imò uerò refragatur: ſi quidem agnoſcis, quinam ibi dicantur uiri Apoſtolici. Iudicio uniuerſorum populorum comprobatum nō eſſe te, imò eſſe repudiatum, non ignoras, quem non niſi paucorum

statim refellet. En quid proficis, cum ad superiorem regulam exigi uis? Porrò quæ in disputatione dixisse te mentiris, postea scripsisti, respondisse te cur ne ipsi quidem Prophetæ ausi sint aut circumcidere, aut sacrificare, quantumuis suæ uocationis diuino testimonio muniti essent, causam in ijs singlarem hanc fuisse, quia Tribui Leuiticæ illa functio adscripta esset. Si hoc in disputatione dixisses, aderat quidam, qui respondisset, etsi nunc sublatum sit sacerdotium Leuiticum, tamen cuiuis propterea nō licere irrumpere in functiones Ecclesiasticas. Eadem dexteritate, quod in disputatione non allegaras, postea scripsisti te allegasse, singulare exemplum Samuelis in Mispa sacrificantis, qui tamen Aaronicæ gentis, stirpis aut familiæ non esset, & Eliæ Galaaditis in Carmelo sacrificantis. Atqui talia exempla repugnant Legi, quam protuleras: quæ (ut ais) solis Leuitis permittit sacrificare. Simul autem, insolens & ridicula uidetur multis tua hæc ratiocinatio, hic syllogismus: *Samuel in Mispa sacrificauit, Elias in Carmelo. Ergo Beza in Galia ritè recteque baptisat.* Quidam certè nuper ludens, cum id audiret, exclamauit æquè argumentari ita licere: *Abrahamus in monte sacrificare filium non recusauit Ergo Beza, in campis Druidum, iure mactat, immolatq; ciues suos.* En quanto cum triumpho Theodorus uictor ex Posiaco congressu redierit, ut nunc propterea nos proculcet.

Sed

Sed neq; prætereundum est, honoris eius causa, quod hic Salmoneus, ut nouo brutoq; fulmine Censores illos suos de uocatione & impositione manuum moro se inquirentes, terreret atq; ulcisceretur, animose fecit. Tantum abest, ut quod aduersarijs adesse iam uisus erat confiteri, deinde confessus sit, ut potius sibi superesse, quod illis deerat, audacißime iactarit. Ego ista, quæ ad me non pertinent, lubenter ignoro. Sed tamen audio Bezam non modo ab ordinarijs Antistitibus nolle sibi manus imponi (metuit enim fortasse aliquam manus iniectionem ex lege. Si caluitur) sed etiam eos, qui ab illis ordinati & creati sunt, nolle Ecclesiæ ministerio fungi, nisi si abs Caluino uel eius uicario rursus, creentur, nouamq; accipiant manuum impositionem. Ego rursus profiteor, me hæc, ut accepi, tantam narrare: iudicium autem alijs relinquere. Sed cum illa nuper audiret non obscuri nominis Theologus, exclamauit, Eos, qui sic agunt, posse ea in re uideri propè Donatistas: & periculum esse, ne imprudentes tandem accedant ad Anabaptistas. Saltem mirum esse, cur qui ab Episcopis baptizatos non rebaptisant, rursus ordinent eos, qui ab suis Episcopis creati ministri sunt. Discriminis huius causam exponant ij, quorum interest. Ego curiosius hæc neque inquiro, neque per-

prætermittam, in quibus tamen recitandis aduersarium exagitare atq; pudefacere, si uellem, possem. Sed mirari satis non possum, cur ille me nõ dimittat: & qua uel spe, uel fronte mihi obijciat memoriam Posiaci conuentus. Scio, neminem putat quicquam de eo, quàm quod ipse fallendi causa scripsit, rescire. Sed cur me unum, qui neque in illa disputatione, neque in bello aduersarius occurrit, ut neq; Theologus, neq; miles sum, nunc lacessit: cum omnes, quos & in illa & in hoc acerrimos aduersarios habuit, tam placidè prætereat? Ego in illa (dicendum iterum est) disputatione, quibus in eo Conuentu diebus forte fui (nam & serius me uenisse, & ociosum fuisse fatetur) spectator, auditórque tantum fui. Et uerò Iurisprudentiam professus, Theologicis certaminibus me non inimisceo. Multo uerò minus arma unquam tractaui, quæ multo magis aliena abs mea professione sunt. Itaque & cum classicum caneres fortissime bellator Beza, domi me continui. Quid igitur hominem & imbellem & in tuis disputationibus minus uersatum aggrederis, quem etsi uiceris, nihil egeris? Si in illam rursus arenam, non iam dico, gladiatoriam, (quia sago deposito, non togam modo, sed & stolam rursus induisti) uerum disputatoriam, descendere uis, occurrito maiori aduersario, qui se uictorem fuisse gloriatur.

Si

Si patrij quid Martis habes, en aspice contra
Qui vocat.

Equidem nescio metu an contemptu quodam fiat, ut cum prætereas. Sed neq; fortasse cum me impetes, tandem non offendes,

si me alta silentia cogas
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem.

FINIS.



